



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. Libr. Decimi sunt IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Quarto queritur, Vtrum aqua cum sanctificatur, imprimatur aliqua virtus ei inherens? Communis est Theologorum sententia, non imprimi, & nihilominus dicitur habere virtutem diuinam, scilicet assistentem tantum, non inherentem sanctificandi, purgandi, & faciendi cetera quae dixi. Dupliciter enim aliquid dicitur habere virtutem diuinam, vel esse instrumentum Dei ad aliquid faciendum. Primo modo dicitur habere talem virtutem, videlicet qualitatem quandam inherentem, & sic credimus, & speramus, & amamus per fidem, spem, & charitatem virtutes diuinitus infusas: Sic etiam tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, hoc est, supernaturalem qualitatem, qua rite afficitur, vel ad alia Sacramenta recipienda, vel ad fidem Christi publice profitemdam, vel recte, & sancte munera, & officia ordinum obeunda. Altero modo aliquid dicitur habere virtutem faciendi assistentem tantum, & hoc modo res animae & vitæ expertes, quæ in Ecclesia benedici & sacrari solent, habent virtutem sanctificandi, & mundandi homines, ut docet S. Thomas.

Quinto queritur, An aqua benedicta leuius, & venialia delicta delectat in modum sacrati, An vero tanquam opus, quo mereri solemus? soluimus hanc quaestionem lib. 4.

Sexto queritur, An aqua profana, quæ sacrata non est, addita aquæ sacratæ, tota fiat sacrata? Inter omnes conuenit totam reddi sacratam: sed auctores in reddenda ratione, & causa dissentiunt. Angelus dicit hoc ideo esse, quia res sacrata, & potest dignior, trahit ad se rem sacratam, etiam quantitate maiorem, quod probat ex *Glof. cap. Non asserimus 13. quest. 2.* Sed ut recte ait Syluester, illa *Glof.* non habet verba (quantitatem maiorem) & fallum est: alioqui enim tota etiam maris aqua sacra fieret, eo quod ex parte aspergeretur aqua sacrata. Rosella causam reddit, videlicet: in aqua sacrata esse quandam virtutem supernaturalem, videlicet assistentem, ut dixi, non inherentem qua afficitur omnis aqua, quæ cum ipsa sacrata sit vna, etiam si fuerit quantitate maior. Ideo enim sacrata fit, quia fit vna cum sacrata, cui additur: nam cum tota aqua sit vna, non potest dici ex parte sacra, & ex parte non sacra. Et cum quod dignius est, trahat ad se minus dignum, & non è contrario, sequitur ut tota aqua sit sacra. At Syluester censet totam aquam non fieri sanctam, quando cumque additur aqua profana quantitate maior, vel æqualis, sed solum quando ipsi additur aqua, profana quantitate minor. Ex quo, inquit, fit, ut si modicæ aquæ sanctæ addatur profana quantitate minor, tota fiat sacra, & deinde si paulatim in infinitum adiungatur profana, sed semper quantitate minor, possit aqua sacra in infinitum augeri. Probat Syluester, quia sicut virtus naturalis non afficit totum, quod additur rei præexistenti, si quod addatur, fuerit quantitate maius: sic nec virtus supernaturalis non attingit quicquid adiungitur priori, in maiori quantitate. Sed Syluester, meo iudicio, non respondet ad argumentum Angeli, & Rosellæ. Nam in capitulo. *Quod in dubio, de consec. Ecclesie, & in cap. Cum Mariba, de celeb. Missæ,* generatim dicitur, in liquoribus qui commiscentur, & mixtione fiunt vnum, nimirum continuatione ipsa & confusione, dignius trahi ad se, quod minus dignum est.

Quicquid sit de argumento, & ratione Angeli & Rosellæ, probabilis videtur, ut philosophamur, in liquoribus qui mixtione & confusione fiunt vnum, eodem modo philosophamur in rebus animatis, & viuus, quæ ab interno principio augentur. Sicut enim caro animalis additione carnis paulatim augetur, & tota fit vna caro animata & viuus: sic etiam liquor sanctus si paulatim additione crescat, totus fit sanctus. At vero sicut caro animalis tota fit viuus accessu minoris carnis: sic etiam liquor sanctus, sic ex toto sacra, liquoris profani, atque in minori quantitate accessu.

Si obiicias, Quomodo hoc verum esse possit? quia si vino consecrato in altari, vinum profanum addatur, quamuis mixtione, & confusione fit vnum, non est tamen to-

tum sacrum, quia in vino profano, quod est additum, sanguis Christi non est? Respondeo, diuersam esse rationem, quia vinum, quod est in altari consecratum, amplius substantia vinum non est, sed sanguis Christi: & solum est quantitate, & qualitate vinum: at vinum profanum quod additur, non solum est quantitate & qualitate vinum, sed etiam substantia, eo quod verbis sacerdotis consecratur: vnde tamen cum vino sacro commistum fiat vnum quantitate, non tamen substantia.

FINIS LIBRI NONI.

IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE-

TATE IESV,

INSTITVTIONVM
MORALIVM
Pars secunda:

LIBER DECIMVS.

De his qui potestate, & iurisdictione
ciuili præditi præfunt aliis.

CAPVT I

De Imperatore Romanorum.



SECUNDI Libri initio dixi, Patres non solum vocari, qui nos natura genuerunt, vel legis præscripto adoperantur: sed etiam qui nos educarunt, instituerunt, tutela & cura suscepta gubernarunt: & denique qui potestate aliqua, & Imper. functi, nos moderantur, ac regunt. Et ideo dicendum est de iis, qui potestate profana ac ciuili præditi, liberos alioqui homines, sibi subiectos gubernant: Sicut libris proxime præcedentibus dixi de iis, qui in potestate Ecclesiastica, & sacra constituti, alios suo iuri commissos regunt, conseruant, & in officio continent.

Primo queritur, Quid nomine potestatis in præfenti intelligatur? Respondeo, potestatem dici, facultatem, qua quis dignitatem, ius, & Imperium habens, alios sibi subiectos gubernat. Vnde potestas accipitur in præfenti loco, pro iurisdictione.

Secundo queritur, Quotuplex sit hæc potestas? Respondeo, duplicem esse. Vna est profana, ciuilis, & temporalis: altera, est sacra, Ecclesiastica, & spiritalis. Per ciuilem potestatem gubernantur homines in iis, quæ ad temporalem Ecclesiæ pacem, salutem, & vtilitatem spectant: per Ecclesiasticam vero reguntur in iis, quæ ad Dei religionem pertinent: cuiusmodi sunt sacerdotes, sacrificia, aræ, & templa, siue ædes sacræ, quæ diuini sunt cultus & iuris, siue personæ sint, siue res, siue loca.

Item ciuilis potestas duplex est: vna suprema, altera inferior, & non suprema. Supremam habet potestatem, qui in temporalibus ciuilem alium superiorem non agnoscit, uti est Imperatoria, vel regalis potestas: talem etiam habent aliqui Principes, Duces, Marchiones, Comites, & liberæ ciuitates. Inferior vero, & non suprema potestas est, quam habent ij, qui in temporalibus ciuilem superiorem agnoscunt: quales sunt multi Principes, & Duces, Im-

peratoris, Regis, vel alterius Principis ditioni & Imperio subiecti.

Ecclesiastica itidem potestas est duplex: Vna supernaturalis ordinis, & diuini iuris, qua homines ad finem supernaturalem per remedia supernaturalia diriguntur: qualis est, quam Christus Dominus instituit, & in sua Ecclesia reliquit: qua Sacramenta administrantur, sacrificia fiunt, Deo offeruntur, peccata remittuntur, diuinum verbum annuntiat, & declaratur, cœli ostium aperitur. Altera potestas est naturalis iuris & ordinis, item & humani, qua homines ad finem tantum naturalem, vel humanum quamuis Ecclesiasticum, opera, & ministerio sacerdotum, per ea, quæ sunt humani, vel naturalis Ordinis referuntur. Nam etiam si homo ad finem supernaturalem destinatus non esset, nihilominus tamen iure naturali, & recte rationis ductu, Deum, vt supremum dominum, rerumque omnium conditorem, omnium bonorum largitorem colere pie, & religiose debet. Religio vero sine Sacerdotibus, aris & templis non est. Ac ideo hæc omnia generatim accepta iuris sunt naturalis. teste S. Thom. in 2. 2. q. 85. art. 1. ad 1. Item multa sunt in Ecclesia Sacerdotum potestate sancita, vel prohibita, quæ sunt Canonici iuris, & quæ ad mores iuri naturali conuenientes spectant, vt de usuris, de iureiurando, de furis, de homicidio, de adulteriis, de empto, & vendito; de deposito, commodato, de locato, & conducto, de testamentis, de legatis.

Tertio quaeritur, Vnde sit potestas ciuili? Respondeo, esse ex ipso iure naturali, si generatim loquamur: nam iuris naturalis, hoc est, gentium, est, vt homines societate quadam coniuncti viuant: at societas consistere, & conseruari non potest, nisi quidam præsent, qui ceteros in pace, concordia, & charitate contineat. Vnde iure gentium ciuitates, & reipublice fundatæ, creati Magistratus, laræ & sancitæ leges, iudicia constituta, quibus fontes puniuntur, infantes defenduntur, cuique tribuitur quod suum est: & in his omnibus consistit ciuili potestas.

Quarto quaeritur, Vtra potestas sit excellentior atque præstantior, Ecclesiastica, An ciuili? Respondeo, natura, dignitate, nobilitate, ac perfectione Ecclesiasticam præstantiorem esse. Nam sicut Sol præstat Lunæ, anima corpori, spiritus carni, & terrenis celestia antecellunt; Sic potestas spiritalis ciuili, quoniam per illam animum salus, per hanc reipublicæ pax & tranquillitas conseruatur. Illa, quæ religionis sunt, & diuini cultus, quæ celestia sunt, & spiritalia, curat & administrat: hæc, quæ profana sunt, & ciuilia, ac temporalia. Innocent. I. in cap. Solita, de maioris. & obed. multis rationibus ostendit, potestatem Ecclesiasticam esse maiorem. Idem probat Gregorius VII. Epistol. 21. Registri lib. 8.

C A P. II.

Vndenam sit Imperatoris potestas & iurisdicctio.

PRIMO quaeritur, Vtrum Imperatoris potestas qualis nunc est, sit à Deo, An à Romano Pontifice, An à populo? Questionem hanc tractat late Cardinalis in cap. Cum ad verum, distinctione 95. Ioannes Parisiensis, Theologus Dominicanus tractat. de potestate seculari, & spiritali per multa capita, Castaldus in tractatu, de Imperatore, quaestione 4. Michael Vulturnus de Regimine mundi, parte 2. q. 2. principali, Antonius in Repetit. in capitul. Per venerabilem: Qui filii sint legitimi, Oldradus consil. 83. quod incipit: An Episcopus, Petrus cognomento de monte in lib. de Monarchia, Albericus in l. Bene à Zanone. C. de quadrienn. præscript.

Præsent quaestio nunc non tractatur à me de Imperatore, qui cepit esse ante Christi ortum: hic enim Imperator fuit Augustus Cæsar, cuius Imperii quadagesimo secundo anno natus est Christus; cuius etiam Cæsaris Imperii ortus magis per vim & tyrannidem, quam per leges

& iura cepit: quamuis postea Senatus, populi que Romani consensu confirmatus est.

Nec item nunc hanc quaestionem disputo de cæteris Imperatoribus Romanis, qui Augusto Cæsari successerunt, & fuerunt à fide & religione Christi alieni, quique nunc quidem à populo, nunc à Senatu, nunc ab exercitu militum, nunc à Prætorianis militibus, modo per vim & tyrannidem, modo demum ab ipsis Imperatoribus nominabantur, eligebantur, & creabantur, & tandem Senatus auctoritate & consensu, & proinde populi Romani confirmabantur expresse vel tacite.

Nec item quaestio intelligitur à me, de iis Imperatoribus, qui post Constantium Magnum vsque ad Carolum Magnum imperarunt: hi etenim quamuis Christiani fuerint, & proinde summo Pontifici, vt Christi Domini Vicario subiecti, magis per successionem, quam per electionem, Romani Pontificis auctoritate instituta, & peculiariter confirmata, facti sunt Imperatores: tamen eorum nonnulli per vim & tyrannidem Imperium inuaserunt, & usurpauerunt: & alii vel ab exercitu militum, vel ab ipsis Imperatoribus nominatis, siue electi Imperium susceperunt. Faceret quidam S. Thomas in Opusculo de Regimine Principum, lib. 3. cap. 16. Imperatores Constantinopolitanos à Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum, à Vicario Christi summo videlicet Pontifice dependere: unde ipsorum Imperium ad exequendum regimen fidelium secundum mandatum Summi Pontificis ordinatur: ut merito dici poterint executores & Imperatores Dei ad gubernandum populum Christianum. Sic ille: Cæterum in præsent loco primum ostendere contendimus, num ea, quæ nunc est, Imperatoris potestas qualis videlicet est post tempora Caroli Magni, & eorum, qui post ipsum imperarunt, à Romano Pontifice existat, & conferatur, num à Deo, An potius à populo: postea secundo loco dicam de Imperatoris potestate, quæ fuit à tempore Constantini Magni vsque ad ætatem Caroli Magni: Tertio loco de ea, quæ fuit à tempore Augusti Cæsaris vsque ad seculum Constantini Magni. Et quamuis post Carolum Magnum aliqui per successionem quoque Imperium tenuerint, Quæstio tamen locum habet in Imperatoribus, qui post Carolum Magnum successerunt: nam ab eo tempore Imperator à Romano Pontifice confirmari, inuangi, factari, & coronari cepit, & tanquam Patronus, & Protector Ecclesiæ, iureiurando promittere consuevit se Ecclesiæ, & Romanum Pontificem Christi Vicarium, & Petri successorum defensurum. Et ideo hinc orta est controversia, An Imperatoris iurisdicctio, & potestas existat, & detur à Romano Pontifice, An potius à Deo, An vero à populo, ita vt imperii proceres nomine, vel Dei, vel summi Pontificis Romani, vel populi, suis suffragiis Imperatorem eligant, & creent.

Sciendum est, Quæstionem præsentem in eo consistere, An Imperatoris iurisdicctio sit proxime à Deo, An proxime à Romano Pontifice, An proxime à populo. Tunc Deus dicitur proxime Regem aliquem, vel Imperatorem eligere, cum per seipsum, nō per alium interpositum, eum eligit, & creat, aut quando per seipsum iurisdicctionem tribuit, quamuis iussu ipsius, ab hominibus eligatur. Hoc modo olim Deus Mosen, & plerisque alios iudices Hebræorum populo præfecit. Sic Saulum & Dauidem, Reges constituit: sic Samuel in toto Israele, & quidem Prophetæ, iussu Dei reges aliquos in decem Tribubus creauerunt. Sic & Romanus Pontifex quamuis Cardinalium suffragiis electus, supremam in totam Ecclesiæ iurisdicctionem, & potestatem proxime à Christo Domino accipit: nec eodem Cardinalibus qui eligunt, ei potestatem tribuunt. Regem vero, vel Imperatorem tunc Deus non eligit, vel creat proxime per seipsum, cum id facit per alium interpositum, cui ordinariam contulit auctoritatem, vt ipse eligeret & crearet.

His positis, non solum in ciuili, sed etiam in Canonico iure multa legimus, in quibus Imperatorem à populo accipere

cipere potestatem inuenimus: multa item, in quibus Imperator dicitur esse à Deo constitutus, alia item in quibus imperium à Romano Pontifice esse, confecti, & pendere perhibetur.

In l. i. ff. de Constitut. habetur: *Populus Romanus ipsi Imperatori, & in ipsum, omne Imperium omnemque suam potestatem contulit. Idem legitur Instit. de iure naturali, Gentium, & civili. §. Sed & quod Principi. Idem in l. i. §. Cum enim utiq. lex. C. de veteri iure enucleando, & l. i. ff. ad legem Iuliam, de Ambitu.*

Alia vero iura ciuilia expresse dicunt, Imperium esse à Deo. Authen. de instrumento, cautela & fide §. i. legimus: *Quis igitur Imperium propterea Deus de celo constituit. Et in l. i. C. de summa Trinitate dicitur: Quae ex caelesti arbitrio sumpsimus. Et Authen. de desynctis seu funera eorum, §. Si vero etiam aliis gentibus, quare nobis principatum alium quidem ab initio dedit Deus, alium vero adiecit. Item Authen. de non alienan. vel permutan. rebus Ecclesia, §. Sinimus igitur, Imperator, cui plurimum dedit Deus habere, & multorum Dominum esse. Et in libro Feudorum, tit. de Pace tenen & eius violatoribus, in principio: *Quoniam diuina praedominante Clementia, solum Regia maiestatis confendimus. l. i. Codice, de veteri iure enucleando, in principio: Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à caelesti Matestate traditum est. In Authen. Quomodo oporteat Episcopos, in principio: Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata Clementia, Sacerdotium, & Imperium: Et illud quidem diuinis ministrans, hoc humanis, uno eodemque Principio utraque excedentia, humanam exornant vitam. l. vltima, ad finem, Codice, de Quadrienni prescript. Quo, natus diuino, Imperiales suscepimus insulas. Authen. de Consilib. §. Olim: Deus misit Imperatores in lege animatum in terris, & in l. vltima. Codice, de Praescript. longi temporis, illis verbis: Ideo nostri Maiore subtilissimo animo, & diuino quodam motu. In Authen. de non luxuriantur, in Principio, illis verbis: *Ve crediti (subiecti scilicet) nobis à Domino Deo, bene viuam. In Authen. de Quae store, in principio: Dei auxilio, ut subiecti ab eius Clementia nobis traditi, illis seruentur. In Authen. Constitutio, quae de dignitatibus, in principio: A Deo tradita nobis reipublica. In Authen. de armis in principio: Subiectos omnes quorum regimen nobis dedit Deus. In Authen. de Priuileg. dotis, in principio. In Authen. ut differentes, illis verbis: *Ex quo nos Deus Romano praeposuit Imperio, & illos commissit nobis à Deo reipublica. In Authen. de Trinitate & Semisse §. vltimo, illis verbis: Semper aliquid adiecit Deus nostris seiptris. Tum in l. secunda, Codice de officio Praefecti Pratorio Africa, in principio: Per ipsum enim iura Imperii suscepimus.****

Hoc idem etiam confirmatur ex iure ipso Canonico. Nam in c. Constantinus, dist. 96. quamuis ibi palea esse dicatur, legitur: *Vnde coram Deo uiuio, qui nos regnare praecipit. Idem colligitur ex cap. Quasi sum, 24. q. 4. cap. Quoniam, cap. Inscripturis, dist. 10. cap. Duo sunt, cap. Si Imperator, dist. 96. cap. Legimus, dist. 93. cap. Cum ad verum, dist. 96.*

Propter haec iura multi iuris Interpretes, praesertim ciuilibus, sentiunt, Imperatoris potestatem esse à Deo proxime, non à Romano Pontifice: Eo quod Imperium, inquit, coepit ante Romanum Pontificem: de qua re, Glossa in cap. Quoniam, dist. 10. Verb. discretis, & in cap. Quasi sum, 24. q. 4. in cap. Si Imperator, cap. duo sunt, & in cap. Cum ad verum, dist. 96. & Hugo ibidem ait; Imperium non esse ab Apostolica sede, sed à Deo, quam sententiam probare conatur Glossa multis rationibus. Alberi in verbo, Electio. ait: *Credo Sacerdotium, & Imperium esse potestates distinctas, & à Deo processisse, de quo satis notauit in l. i. C. de sum. Trinit. & fid. Cathol. idem docet Ioannes Parisiensis Theologus Dominicanus tractat supra citato, cap. 4. §. 8. & 9. Sic etiam Michael Vulcerunus libro superius citato. Sed certe communi fere consensu iuris Doctorum, praesertim Pontificii, est recepta sententia, Imperatoris iurisdictionem & potestatem esse, ac pendere proxime à Rom. Pontifice, quoniam ipsi data est à Deo omnis potestas gubernandi, & administrandi Ecclesiam: Et Christus Dominus vnum ouile, & vnum*

gregem constituit, cui Petrum & successores eius praefecit. Petro dictum est: *Pasce oues meas, non has, aut illas: sed absolute & simpliciter oues meas: omnes ergo: ac proinde Imperatores, Reges, & Principes. Petro item dictum est. Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni caelorum, & quodcumque solueris, & ligaueris super terram, erit solutum & ligatum in caelis. Nec obstat, si dicas, Imperium esse à Romano Pontifice, quod attinet ad ea tantum, quae spiritualia sunt: nam contra est, quod Rom. Pontifex vtriusque regni, terreni, & caelestis clauis accepit. Air enim Nicolaus I. in cap. Omnes, dist. 22. B. Petro aeterna vita Clauigero, terreni simul & caelestis Imperii iura Dominus commisit. In cap. Duo sunt, dist. 96. ita legitur: *Duo sunt quippe Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regimintibus in diuino sunt reddituri examine rationem. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem. Talibus igitur institutis, talibusque functis auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicauerunt. Idque probat ibidem Pontifex exemplo B. Innocentii Papae, qui excommunicauit Arcadium Imperatorem, quia confenserat, ut S. Ioan. Chrysostomus à sua sede pelleretur, & exemplo B. Ambrosii, qui licet sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiae Episcopus pro culpa, quae aliis sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit. Haec ibi Pontifex. Et in extrauaganti, Vnam sanctam, de Maioritate, inter communes, Bonifacius Octauus definit, Romanum Pontificem duas habere potestates, & eas à Christo Domino accepisse, spirituales, & temporales, quod probat Glossa in cap. Omnes, in verbo, Caestis, dist. 22. Praeterea Imperator creatur, ut sit Ecclesiae minister, patronus, protector & tutor contra haereticos, schismaticos, paganos, & omnes Christiani nominis hostes. Ergo imperium existit ac pendet ex summo Christi Vicario. Nam ut docet Arist. lib. 1. Ethic. c. 1. Eius artis est magistros eligere, & instrumenta exhibere idonea & commoda, cuius est ad finem intendere & ducere: sicut militaris ars, cuius finis est in bello victoria, eligit equestrem artē, & alias administras. Cum ergo Romanus Pontifex Christianam rempublicam dirigat ad salutem aeternam, eius est, Ecclesiae ministros idoneos dare, patronos, tutores, & protectores adhibere, qui populum Christianum, Ecclesias, sacerdotes, templa, altaria, & alia sacra contra hostes tueantur & protegant. Accedit, quod Ecclesia est vnum corpus, cuius est vnum caput: At Summus Pontifex post Christum Dominum, est totius Ecclesiae caput, cum sit Christi Domini Vicarius, & à capite est omnis virtus in corpus: alioqui si imperium non est à Romano Pontifice, Imperator & Summus Pontifex erunt duo capita in Ecclesia, duo in terris Vicarii: quod dici non potest.**

Haec sententia iure Canonico confirmata est saepius. Nam in cap. Venerabilem, de elect. Innocentius Tertius ait, electionem Imperatoris ad Germanos Principes pertinere: *Verum, inquit, illis Principibus ius & potestatem eligendi Imperatorem recognoscimus quidem iure, & antiqua consuetudine conuenire: praesertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede prouenerit, quae Romanum Imperium à Graecis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut uidem in nostra recognoscere praesentia, quod à ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendum ad Imperium, ad nos spectat, qui eum unguimus, consecramus, & coronamus. Ex quibus verbis Pontificis magnum sumitur argumentum. Nam Rom. Pontifex Imperium à Graecis ad Germanos transtulit: Germanorum Principibus ius & potestatem concessit eligendi Imperatorem: electi merita examinat, approbat, confirmat: & ita electum vngit, consecrat, coronat: Quae omnia perspicua sunt argumenta, quod Imperatoris iurisdictione & potestas, sit & pendeat à Rom. Pontifice. Praedicta enim*

enim non nisi superioris sunt potestatis. Præterea Rom. Pontifex Imperatori imperium abrogat: nam Gregori VII. Henric. IV. imperio priuauit: Alexand. Tertius, Federic. Primum, Innocent. Tertius, Othonem Tertium, Gregorius Nonus, & Innocentius Quartus, Federicum Secundum, Ioannes Vigefimus secundus, & Clemens VI. Ludouicum Quartum Bavarum. Constat item ex Auctoribus fide dignis Emmanuelem Constantinopolitanum Imperatorem bis per Legatos petiisse ab Alexandro Tertio Rom. Pontifice, vt Occidentale imperium cum Orientali coniungeret: Eman. Imperator Orientis, intelligens Italiam Feder. I. Imperatoris bellis vexari, Beneuentum ad Alexandrum Tertium Legatis missis, promisit se Græcos cum Latinis iuncturum, & ipsam à molestia Federici liberaturum, & grãdi pecuniæ summa donaturum, si contra imperii Occidentalis, quæ iure erat Federico adempta, donasset, & vtriusque imperii Imperatorem appellasset. Respondit Alexander ex Cardinalium consilio, se nolle in vnum coniungere, quod olim, de industria maiores sui & antecessores diuisissent. *Diaconus in vita Alexandri. Sigonius de regno Italia, lib. 14. anno 1168.* Patet etiam Gregor. Decimum Michaeli Palæologo Orientis imperium confirmasse, quod ad Lugdunense Concilium accessisset. Item, eundem Gregorium Electores imperii schismate laborantes, ad Imperatorem creandum cogisse: contentatum, nisi id cito fecissent, se eorum negligentiam supplendam curaturum. Clementem itidem Sextum deiecit & damnato Ludouico Bauaro, comminatum fuisse Electoribus nouum Imperatorem eligere recusantibus, se eos per censuras Ecclesiasticas compulsum. Præterea Innocentius III. in cap. *Solita, de maioribus & obed.* scribens ad Imperatorem Constantinopolitanum, multis rationibus probat, imperium Sacerdotio subesse, non contra Sacerdotium imperio. Primo, quia ad Sacerdotes spiritualia pertinent, ad Imperatores temporalia: Sed spiritualia sunt temporalibus digniora. Secundo quia sacerdoti, non Regi, dictum est Hierem. 1. *Eccc constitui te super gentes & regna, vt euellas, & dissipes, & adifices, & plantes.* Tertio, quia sicut Deus fecit duo luminaria magna in firmamento caeli, luminare maius, vt præset diem & luminare minus, vt præset noctem, vtrumque magnum, sed alterum maius: Sic a firmamentum caeli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas: Sed illa quæ præset diebus, id est, spiritalibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor, vt quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Quarto quia beato Petro commissæ sunt oues, Christo dicente Domino: *Pasce oues meas*, non distinguens inter has & alias; vt alienum a suo demonstraret ouili, qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores. Vltimo, quia Dominus dixit ad Petrum, & in Petro ad successores ipsius: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis*: nihil excipiens, quia dixit (*quodcumque*). Et in cap. ad *Apostolica, de sent. & re iudica in 6.* Innocentius Quartus in Concilio Lugdunensi probat, ex illo Christi Domini: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis*, posse Romanum Pontificem iustis de causis, hoc est, ob crimina Imperatorem Regno & imperio priuare, & absoluere eos, qui sunt Imperatori subiecti, omni vinculo & obligatione iurifurandi, quo ipsi erant ante adstricti. Idem ostendit Clemens V. in Concilio Viennensi, vt habetur in *Clemen. Pastoralis, de sent. & re iudica.* Denique Bonifacius VIII. in *extrauagan. Vnam sanctam, de maioribus & obed. inter extrauagantes communes* definit, vnum esse caput in Ecclesiâ, nõ duo, Christum, & Christi Vicarium Petrum, & Petri successorem, cui fuit dictum: *Pasce oues meas.* Meas, inquit, generaliter, non singulariter has vel illas: & in eius potestate duos gladios, spirituales videlicet auctoritatem, siue potestatem, & temporalem auctoritatem subicit (spirituali potestati, quia spiritualis præcellit terrenam

dignitatem: & spiritualis potestas terrenam instituit, & iudicat, si bona non fuerit, iuxta illud Hierem. 1. *Eccc constitui te super gentes, & regna.*

Propter hæc iura & decreta Romanorum Pontificum, docet Abbas in cap. *Venerabilem, de elect. num. 11. & in consil. 28. par. 1. Aretinus consil. 59. Barr. in l. 1. ff. de requiren. reis, Cardinalis item in cap. cum ad verum, dist. 96. Antonius in repetit. in cap. per venerabilem, qui filii sunt legit. Felinus in cap. Nouit. de iudic. Petrus de Monte, & Castaldus locis supra citatis. Antonius 3. parte, tit. 22. cap. 3. §. 15. Augustinus Triumphus de potesta. Papa q. 36. art. 1. & 2. Syluester in verbo, Papa, q. 10. & alii permulti in cap. Nouit. de iudicis. Imperium à Romano Pontifice esse: & pendere, & Imperatorem ab eo suam iurisdictionem & potestatem habere: & hoc certi iuris esse: Et reuera, qui negat Imperatoris iurisdictionem & potestatem à Romano Pontifice, siue Ecclesiæ existere, negat quoque decreta Romanorum Pontificum Innocentij III. Innocentij IV. Clementis V. Bonifacii VIII. Negat etiam auctoritatem Conciliorum, Lugdunensis sub Innocentio IV. & Viennensis sub Clemente V. in quibus Concilium edita sunt duo ex prædictis decreta. Vnde Bartolus in l. 1. §. 1. ff. de requiren. reis, Abbas in cap. Nouit. de iudic. aunt, Dantem Philosophum poetamque Florentinum, post mortem fuisse quasi propter hoc de hæresi damnatum, quia lib. 3. de Monarchia incipit, Imperium non esse ab Ecclesiâ, cum pulcherimis rationibus, inquit Bartolus, teneat Ecclesiâ in constitutione Bonifacii, Vnam sanctam, de maioribus & obed. Imperium ab Ecclesiâ esse & pendere.*

Ad ea vero omnia, quæ ex iure ciuili & Canonico obiecta sunt, in quibus habetur, Imperium esse à Deo: breuiter respondeo, esse à Deo quidem, sed non proxime; nec enim Deus per seipsum Imperatorem elegit vel creauit sed voluit, vt ab Ecclesiâ siue Romano Pontifice, cui totius Ecclesiæ administratio commisit spirituales & temporales, eligeretur & crearetur. Vnde quia Pontifex id facit ratione inuenietis & officii quo fungitur, ideo ipse est, qui proxime per seipsum, vel per alium Imperatori iurisdictionem & potestatem tribuit: ipse est qui ius & potestatem eligendi Electoribus concedit, demum ipse est, qui electum Imperatorem vngit, consecrat, coronat, & patronum ac protectorem Ecclesiæ facit. Obiicit: Imperator non habet superiorem quem agnoscat in iis, quæ temporalia sunt. Item, si imperium est à summo Pontifice, ergo Imperator est Vicarius Romani Pontificis, & posset in temporalibus prouocari ab Imperatore ad summum Pontificem. Item Gregorius epistol. 61. lib. 2. regisfri indict. 11. scribens Imperatori Mauritio, sæpe eum vocat dominum suum. Ad hæc argumenta respondebo inferius in alia questione videlicet cap. 6. q. 3. in responsione ad vltimum.

Secundo queritur, Quid dicendum de Imperio Romanorum, quod fuit à tempore Constantini Magni Christianam religionem professi vsque ad tempus, quo Carolus Magnus creatus est Imperator Occidentis? Eo tempore Imperator Romanorum auctoritate Romani Pontificis non eligebatur, non confirmabatur, nec vngebatur, nec coronabatur: Imperium igitur non dabatur à Papa: sed vel militum exercitus eligebat, aut nominabat, aut designabat Imperatorem, & populum ratum & acceptum habebat, vel Imperator filium Cæsarem nominabat, & imperii consortem faciebat, vel per vim & tyrannidem, quis imperium occupabat. Cæterum quia Imperatores, Christiani erant, Romano Pontifici, tanquã oues pastori subiciebatur iure diuino, quo successor sancti Petri est Christi Domini Vicarius in terra. Sed numquid in temporalibus etiam erat imperium tunc summo Pontifici ipso iure subiectum? Erat profecto, non quod summus Pontifex natus & arbitrato suo posset imperium Imperatoribus abrogare, sed quod in certis quibusdam causis ipso iure, quãuis non factis, posset Imperatorem imperio priuare, vt puta si Imperator esset hæreticus, schismaticus, hæreticorum fautor, siue schismaticorum adiutor, deseruere. Poterat iure quidem, licet non factis, Constantius Arianus Im-

perator, & Arianorum fautor auctoritate Romani Pontificis imperio deiici. Dixi iure quidem, licet non facto. Quia ad factum vires Pontifici deerant, non ius faciendi. Poterat Iulianus Christianæ religionis defensor, ipso iure summi Pontificis auctoritate ab imperio remoueri. Constantinus Papa Philippicum Imperatorem hæreticum non solum anathemate percussit, sed etiam ad hæreticum Concilio decreuit, ne Philippici tanquam Imperatoris hæretici aut literæ, aut nummi recipiantur: neque imago eius, vt moris erat, in templum inferretur: neque nomen eius in solemnibus sacrificiis ederetur. Gregorius Secundus Leonem Tertium Iconomachum Imperatorem à piorum communione submouit, vt qui non solum hæreticus & hæreticorum fautor esset, sed etiam Catholicorum hostis & persecutor acerrimus: & mox Italæ populo, sacramenti, quo se illi obligauerant, religione exoluit, & ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit. Quo decreto accepto Romani, Campani, Rauennates, & Pentapolitani à Leone sublato defecerunt. Poterat iure Imperator auctoritate Romani Pontificis imperio spoliari, si pacem Ecclesiæ promissam & iuram non seruabat: si Episcopos & Clericos suo officio fungi prohibebat. Si Ecclesiæ clauis contemnebat: si Ecclesiæ iura sibi usurpabat. Si denique Christianæ reipublicæ pacem, salutem, & bonum conturbabat. Item si vacante tunc imperio, ius Christianis populis esse ex necessitate eius ipso iure ad summum Pontificem spectat, vt colligitur ex cap. *Licet, de foro compet. & Extratit. si fratrum. Ioan. 1. 22. tit. ne sede vacante*: & ita docuerunt Bar. in *l. natural. ff. de usucap. Bar. in l. cum notissimi. §. immo. C. de prescript. Ioan. Fab. Inst. de adyponib. §. 1. Abb. in cap. *Licet, num. 8. de foro compet. Rom. singulari, quod incipit, vacante imperio 47.**

Tertio quaeritur, Quid dicendum de Imperio Romanorum, quod fuit à tempore, quo B. Petrus tanquam summus Christi Domini Vicarius Catholicam Ecclesiam gubernauit? Respondeo etiam tunc penes Romanos Pontifices erat ius adimendi ex certis causis imperium Ethnicis Imperatoribus, quoniam licet Imperatores, Pagani erant, vt extra Ecclesiam, & imperium à Papa non habebant, at quatenus Euangelii promulgationem aut verabant aut impediabant, quatenus Christianos persequabantur, Ecclesiæ bona occupabant, ius Ecclesiæ, ac proinde Romanus Pontifex habebat, indiciendi & inferendi bellum illis, & eos imperio spoliandi. Nec obstat, si Ecclesiæ tunc id non faciebat, quia in multis Ecclesiæ ius habet, & tamen secundum ius quod habet, non facit, quoniam non expedit iuris rigorem sequi, & aliquando ius nostrum persequi non possumus, vel quia vires nobis non supersunt, vel quia maiora mala credimus deicienda. Diuino iure imperia & regna mundi sunt Vicario Christi Domini subiecta ad Euangelicam legem promulgandam, ad Christianam religionem tuendam, conferuandam, & propagandam.

CAP. III.

De electione Imperatoris.

Primo quaeritur, An iuris Canonici sit vt Imperator per electionem, non per hereditariam successione creetur? Respondeo, iuris esse Canonici id enim constat ex cap. *Venerabilem, de elect.* illis verbis: *Verum illis Principibus ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere: praesertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit.* Ergo iuris est Canonici, vt imperium per electionem, non per successionem habeatur. Idem constat ex *Clemen. 1. de iur. iurand.* Nec est audiendus Alberi. cum ait in *Dictionar. in verbo electio. Pastores Ecclesiæ, mittentes sulcem in messim*

alsenam, fecerunt decretalem, de electione Imperatoris, que incipit: Venerabilem. libere in hac parte loquutus est Albericus, & plus quam par est Imperatorum factioni adhæsit, & fuit: cum Pontificiæ autoritatis studiosior esse deberet. Cum Imperator eligatur vt patrosus, vt defensor, vt propugnator Ecclesiæ Catholicæ, Romani Pontificis est, de electione Imperatoris decernere ad commune Christianæ religionis & reipublicæ bonum.

Secundo quaeritur, An qui præest imperio, eligatur rex Romanorum, an potius Imperator? De hac quaest. cap. *proxime sequenti* disputabo.

Tertio quaeritur, An iuris sit Canonici, vt Imperator ex genere tantum & natione Germanorum eligatur & creetur? Cardinalis in cap. *Venerabilem, de elect.* sentit nullo iure ex sola natione Germanorum eligi Imperatorem debere: Quia cum in iure Canonico, inquit, habetur ad Germanos imperium esse translatum, & Theutonico imperium datum esse, nihil aliud significatur, nisi datum esse Germanis seu Theutonico ius eligendi Imperatorem. Vnde non prohibet ius, quo minus Germani Principes ex alia gente eligant Imperatorem. Abbas in cap. *Venerabilem, de elect. num. 17.* affirmat id iuris esse Canonici; quia in eo cap. dicitur: *De Apostolica sede, qua Romanum Imperium in persona Magnifici Caroli, à Græcis transluit in Germanos.* Vbi Glossa in verbo (*transluit*) ergo, inquit, *Regnum mundi translatum est ad Theutonico: nam ipsi habent Regnum Romana Ecclesiæ.* De consecrat. *distinct. 5. in cap. in die, habetur: Theutonico concessum est regnum, & regimen nostra Ecclesiæ.* Idem in *Clemen. 1. de iur. iurand. in principio* illis verbis: *Quia à Græcis imperium transluit in Germanos.* Si tamen inter Germanos nullus esset dignus imperio, tunc liberum esset electoribus regem Romanorum ex alia natione eligere, argumento sumpto ex cap. *Ne per defectum, ad finem, de elect.* Quemadmodum si in collegio Cardinalium nullus esset idoneus ad Pontificatum, integrum esset Cardinalibus extra collegium alium eligere: vt colligitur ex cap. *1. distinct. 23 in verbo, Eligatur.* Sic etiam iuris est Canonici, vt ex gremio Ecclesiæ, siue ex collegio Canonico-rum, Antistes, siue Episcopus eligatur. Quod si nullus dignus inueniatur, aliunde quam ex gremio Ecclesiæ potest eligi. Ex cap. *Cum inter Canonicos, de elect. & cap. Abbas 18. quæst. 2.* Nam vt docet Glossa in *l. Plane, ff. Quod cuiusque vniuersitatis nomi. Et in l. in Ecclesiis, C. de episc. & Cleric.* Vbi non reperitur idoneus in aliquo loco, eligatur quis ex alio loco.

Quidam obiciunt, Anno Domini 1256. Principes, & proceres Germaniæ, monente Romano Pontifice, post obitum Gulielmi Regis Germanorum, in imperii comitiis, in quibus de Augusto deligendo, & in Gulielmi Cæsaris locum subrogando deliberatio suscepta erat, diuersa suffragia tulisse. Nam Archiepiscopus Colonienfis, suo & Moguntini Præfatis nomine, cuius Vicarius erat, Comes quoque Palatinus Richardum Cornubiæ comitem, Henrici Angliæ Regis fratrem elegerunt: at Archiepiscopus Treuerensis, & Dux Saxonæ, qui Marchionis Brandeburgensis absentis partes implebat, Richardi electionem, vt vitio factam existimantes, Alphonsum hoc nomine decimunt, Castellæ Regem suis suffragiis imperio præfecerunt. Respondeo, hoc argumento non probari, ex alia gente & natione, quam Germanica posse iure Imperatorem deligi: quia licet Alphonfus Rex erat Castellæ, genus tamen maternum ex Germaniæ Imperatoribus trahebat. Erat enim Beatrix filius, & ex ea Philippi quondam Augusti nepos. Richardus item quamuis in Angliæ Comes, sanguinis tamen propinquitate ad Germanos attinebat. Satis igitur est, vt quis Imperator eligi iure queat, si genus ducat per partem, vel per matrem, à Germanis.

Eodem modo diluitur id quod alii opponunt, videlicet Carolum V. Flandrum Imperatorem, & Ferdinandum eius fratrem Compluti in Hispania natum, Imperatorem electum, & creatum fuisse: quoniam Carolus V.

Hispaniæ Rex, Gandavi in Belgio natus, Germanus erat, videlicet filius Philippi, & ex eo nepos Maximiliani I. Imperatoris: Caroli vero V. frater fuit Ferdinandus in Hispania natus.

Quarto queritur, Qui, & quot Germanorum Principes, ius & potestatem habeant Imperatorem eligendi? Respondeo, in iure Canonico expressum non esse, quinam, & quot esse debeant huiusmodi Germanorum Principes. Nam in *Clemen. 1. de iur. iur.* solum legimus per Ecclesiam imperium à Græcis ad Germanos fuisse translatum, & ab Ecclesia ad certos Germanorum Principes ius eligendi Imperatorem peruenisse. In cap. *Venerabilem, de elect.* tantum habetur, Principibus Germanorum ius eligendi Imperatorem, iure vel consuetudine conuenire. In cap. *Ad Apostolica, de sent. & re iudic. in 6.* solum dicitur: *Illi autem, ad quos Imperatoris spectat electio, libere eligant in Imperio successorem.* Nusquam igitur ius exprimit, quinam, quotve sint huiusmodi Electores. Glossa in cap. *Ad Apostolica, prefato, in verbo; Illi autem,* explicat & enumerat septem Principes, videlicet tres Ecclesiasticos, Archiepiscopum Coloniensem, & Treuerensem Præsulem, & Moguntinum Antistitem: Quatuor vero seculares, Palatinum Comitem Rheni, Ducem Saxonie, Marchionem Brandeburgensem, & Regem Bohemie, olim Ducem. Vnde verus:

Magna Moguntia, Crassa Colonia, Treueris Alma:

Atque Palatinus Dapifer, Dux, Porritor ensis:

Marchio Præpositus Cameræ: Pincerna, Bohemus.

Hi faciunt Regem, seruantes Ordine Legem.

Coloniensis Archiepiscopus est Italiæ Cancellarius in Aula Imperatoris: Treuerensis, Cancellarius Gallie: Moguntinus, Germanie: quoniam hæ tres nationes cõtendunt, iure ad se imperium pertinere. Imperium enim ceptum est à Romanis, & deinde per Constantinum Magnam ad Græcos Constantinopolim transfuit. Ac vero postea Occidentis imperium ex Græcis ad Francos translatum est, & in Caroli Magni familia per aliquot annos vsque ad octauam, imo etiam nonam generationem permanfit: Et postea Itali quidam Principes in schismate, vt inferius dicam, facti sunt Romanorum Reges, imo etiam coronati Imperatores; vt Wido Dux Spoletanus, Lambertus filius eius, Berengarius I. Dux Forouiliensis; Berengarius II. Berengarii I. ex filia nepos, Adalbertus eius filius. Denique Imperium reges Germanorum tenuerunt, in quibus hæctenus constitit, videlicet à tempore Othonis Magni vsque ad nostrum sæculum, nimirum ab anno salutis humanæ 964. vsque ad annum 1601.

Quæres, An rex Bohemie ex necessitate legis ius habeat Imperatorem eligendi? Communis est Doctorum sententia, cum olim, siue ab initio, non necessitate legis ad suffragium ferendum vocatum fuisse, sed tunc cum alii sex Electores in suffragiis dissentiebant, vt pares essent, hoc est, tres ex vna parte, & totidem ex altera. *Hostenfis in cap. Venerabilem, de elect. Glossa in cap. ad Apostolica, de sent. & re iudic. in 6. in verbo; illi autem. Albericus in l. Bene à Zenone, C. de quadriem. prescrip. Cadius in Margarita. in verbo, Annus, Cardinalis in cap. Venerabilem, de elect. §. 1. num. 6.* Nunc vero ius eligendi habet æque ac ceteri, teste *Ioanne Capistrano tract. de Papa & Ecclesia auctorit.*

Quinto queritur, An septem Germanie Principes iam dicti sint Electores Imperatoris, auctoritate Romani Pontificis constituti, An vero communi Procereum Germanorum suffragio, An totius populi consensu? Hæctici contendunt offendere, penes septem Germanorum Primates ius esse eligendi Imperatorem: non quidem Romani Pontificis auctoritate datum; sed communi omnium Germanie procerum consensu constitutum. Ita vt septem illi viri nomiae & assensu omnium aliorum Germanie Principum Imperatorem eligant. Catholici quidam dicunt, ius huiusmodi esse penes septem viros Germanos ex lege Imperatoria Othonis Tertii. Sed quicquid isti sentiant, & dicant, in iure Canonico expresse le-

gimus, id potestatis accepisse septem Imperatoris Electores, Romani Pontificis auctoritate. Nam Innocentius Tertius in cap. *Venerabilem, de elect.* aperte testatur: *In Germanis Principibus ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere: presertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede prouenerit.* Et Clemens Quintus in Concilio generali Viennensi, vt refertur in *Clemen. Romani, de iur. iur. Eccl. Eccl. inquit, Romana à Græcis imperium transiit in Germanos; & ab eadem ad certos eorum Principes, ius & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum peruenit.* Hoc idem testantur Pontificii interpretes, Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, Cardinalis, & ceteri, partim in cap. *Venerabilem, partim in Clemen. Romani, citatis, Sanctus Thomas in opuscul. de regimine Principum lib. 3. cap. 19.* Augustinus Triumphus in *summa de potestate Ecclesie quæst. 35. art. 2.* Aluarus Pelagius lib. 1. de *Planctu Ecclesie, art. 13. & 21. 37. & 41.* B. Antoninus par. 2. *Historia. tit. 17. cap. 4.* Idipsum quoque, & Historici tradiderunt, Blondus *decadis 2. lib. 3.* Platina in *vita Gregorii V. Ioannes Villanus lib. Historia cap. 2.* Eneas Silvius in *Epitome Blondi,* & Martinus Polonus in *vita Gregorii V.* Nauclerus quoque in *Chronol. part. 2. Generat. 35.* ac ceteri iuniores. Et certe id ratio videtur ostendere. Neque enim verisimile est, Germanie Principes id iuris concessisse, cum ad eos pertinetet: solum ius eligendi Germanie Regem Romanorum: Vnde post Crassum, & Arnulphum ex familia Caroli Magni Imperatores Romanorum, Germanie proceres Ludouicum Arnulphi filium, & Conradum è Franconia vitum, & Henricum cognomento Aucipem Saxonie, & Thuringie Ducem, filium Othonis Ducis, & Patrem Othonis Magni Imperatoris, & Reges Germanorum, non Romanorum elegerunt, teste *Gregorio libro 6. de regno Italia anno 911. & 919.* Item nullus Germanie Rex fuit saluatus, & habitus Rex Romanorum, nisi quem Romani siue Itali receperunt: & nullus est Imperator saluatus, nisi quem Romanus Pontifex approbasset, vnxisset, consecrasset, & coronasset, vt infra clarius patebit.

Item Imperator eligitur, & creatur ob commune bonum populi Christiani contra hæcticos, schismaticos, & Paganos, vt Ecclesie patronus, tutor, defensor, & protector: at Romani Pontificis est talem ministrum seu patronum eligere, cum sit Christi Domini Vicarius. Ergo Germanie Principes non potuerunt sua auctoritate discernere, vt penes Septem viros esset ius & potestas Imperatorem eligendi.

Dices id esse lege Imperatoria constitutum, videlicet lege lata ab Othone Tertio, vel aliquo alio Romanorum Imperatore: hanc enim potestatem potuit Imperator septem Germanie Principibus concedere. Contra hoc est, quod Othones illi, videlicet I. II. & III. Romanoium Imperatores non fuerunt, nisi post receptam Imperii coronam à Romano Pontifice, vt dicam inferius. Imo post eos nullus vnquam Germanie Rex, Imperator est habitus, nisi approbatus, sacratus, vnctus & coronatus à Romano Pontifice: Ergo nulla sola imperatoria lege ius eligendi Romanorum Regem ad Germanos proceres peruenit. Ac proinde verum est, quod historici tradiderunt, Romani Pontificis decreto fuisse sancitum, vt ius & potestas huiusmodi esset penes septem Germanie Principes.

Obiiciunt quidam, primo, Nauclerum *volum. 1. Generat. 35.* dicentem: *Hoc in tempore electores Imperii instituti leguntur, de quo aliqui scribunt, quod Otho III. cum hæctes ex se descendentes non haberet, constituit ex consilio Principum Germanie, vt Imperatoris mortuo in oppido Francofurti, per se suo fieret electio, & electores constituit septem.* Secundo obiiciunt Krantzium lib. 3. *Metropolis cap. 40.* vbi ait: *Ita perit sine prole Otho Tertius, præualuitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio Quinto propinquo suo fecit, quaque durat in*

hodiernum diem, ut non legitima successione quaratur Imperator, quomodo à memoria Magni Caroli videbatur, sed electio septem primorum principum assumatur. Tertio obiicit scriptores alios Germanos, asserentes id esse factum ex communi omnium Germanorum Optimarum consensu: & id tradit etiam Nicolaus Cusanus lib. 3. cap. 4. de concordantia Catholica, ubi dicit, electores constitutos esse communi consensu totius Imperii: *Concurrerebat, inquit, ad hoc consensu ipsius Gregorii V. tanquam unius Pontificis Romani, qui iuxta gradum suum in consentiendo, in communem Imperatorum interesse habet recte, sicut in Conciliis universalibus concurrat in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum aliis omnibus ipsam Concilium celebrantibus. Vigor nihilominus defractions non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium, & ipsius, & aliorum consensu dependet. Et infra: Ita quod puto in veritate, consensum Romani Pontificis à principio interuenisse, dum isti electores constituerentur. Unde ipsi communi fungentes legatione omnium, qui imperio subsunt, etiam totius Sacerdotii, & Romani Pontificis, eligunt: Quarto, quia beatus Atroninus, Martinus Polonus, Leopoldus Bambergenfis, de constitutione electorum loquuntur, sed eam summo Pontifici non tribuunt. Ad hæc omnia obiecta respondeo, ea nihil concludere: quia auctores nominati non negant factum esse decretum, de septem electoribus Imperatoris auctoritate Pontificia: sed significant id Pontificem Romanum fecisse consensu Othonis Tertii, acque aliorum Principum Germanorum: nam verisimile est, id petiisse Othonem Tertium Imperatorem, & Germanorum primates, & sanctionem à Pontifice constitutam laudabilem & comprobabilem.*

Sexto quaeritur, Quo tempore, & sub quo Romano Pontifice id iuris fuerit constitutum? Onuphrius in libro de comitis Imperatoris tradit, hoc decretum editum fuisse post obitum Federici Secundi Imperatoris, auctoritate Gregorii X. in Concilio Lugdunensi. Id accepisse videtur Onuphrius ex Auentino, qui libro 5. Annalium suorum, sic ait: *Ego illos electores post factum Federici II. institutos, & à Gregorio X. confirmatos competere habeo. Sanderus in sua Monarchia Ecclesiastica, agens de Gregorio Quinto. Onuphrii sententiam refellit, quippe quæ cum communi historicorum opinione pugnat. Nam iuniores historici referunt huiusmodi Decretum in tempora Gregorii Quinti, & Othonis Tertii Imperatoris, Blondus, decade 1. Platina in vita Gregorii Quinti. Aeneas Silvius in Epitome Blondi, Volaterranus lib. 22. Anthropologia. Antonin. par. 2. Histor. tit. 16. cap. 4. & 3. par. Theologia tit. 22. cap. 5. §. 13. Hoc idem testatur Aluarius Pelagius lib. 1. de Plantis Ecclesie, art. 41. S. Thomas in opuscul. de regimine Principum lib. 3. cap. 19. Ioan. Villanus lib. 4. Histor. cap. 2. Augustinus Triumphus de potestate Ecclesie, quæst. 35. art. 2. Idem habent scriptores, & historici Germaniæ, Nauclerus volum. 2. Generat. 34. Ioannes Cuspinianus in vita Othonis Tertii: Ioannes Carion in Chronico lib. 3. Krantzius lib. 4. de rebus Saxonice cap. 25. & lib. 3. Metropolis cap. 47. Lupoldus Bambergenfis de iuribus Imperii cap. 2. Et certe huiusmodi decretum antiquius esse, quam putat Onuphrius, facile colligitur; siquidem S. Thomas in opuscul. de regimine Principum lib. 3. cap. 19. & Hostiensis in cap. Venerabilem, de electione, meminerunt septem Electorum, quorum est Imperatorem eligere: & tamen sanctus Thomas, & Hostiensis tempore Federici Secundi vixerunt, & sanctus Thomas obiit ante Concilium Lugdunense sub Gregorio Decimo, ad quod Concilium vocatus dum pergeret, in ipso itinere mortuus est, ut scribit Antoninus par. 3. tit. 23. cap. 7. §. 11. Item verisimile est, duo quæ tempore Othonis Imperatoris acciderunt, occasionem dedisse, ut Gregorius Quintus Decretum ediderit de septem Electoribus: Vnum fuit schisma, quod Crescens Nomentanus in Imperio excitauit. Hic enim anno Domini 993. Imperatoris nomen ac ius sibi in vrbem arrogauit: nam ægre admodum ferebat impetium iure quasi hereditario ad externos esse translatum, quoniam quamdiu stirps Caroli Magni superstes fuit, Francos in*

possessione fuisse, illa extincta, cum Italicis auitam renouare dignitatem vellent, intestinis tamen odiis, ciuilibusque discordiis proposito excidisse conquebatur. Ita rem ad Othonem Germanum hominem deuolutam, ab Othone ad filium & postea nepotem ad tantum fastigium immerito prociatum esse dicebat. Istis vocibus populus Romanus commotus, opem illi suam ad tantum imperii decus recuperandum pollicitus est; sed spe sua frustratus, interijt. Alterum fuit continua per aliquot annos in Imperio successio trium Othonum, quæ visa est quasi hereditaria. Nam Othoni Primo successit Otho Secundus filius eius: & post Othonem Secundum successit filius eius Otho Tertius, nepos Othonis Magni.

Sed obiicit Onuphrius primum, nihil de hoc decreto edito à Gregorio Quinto dixisse veteres historicos, qui tempore Gregorii Quinti, & Othonis Tertii Imperatoris scriperunt. Nihil, inquit, de hac re tradidit VVitichindus, nihil Luitprandus, nihil Lambertus Scafnaburgensis, nihil Regino, nihil Marianus Scotus, Otho Frisingensis, Abbas Vrspergenfis, Sigibertus. Respondeo, plus pon deris & momenti habere communem recentiorum historicorum sententiam, qui id aperte tradiderunt: quam obscurum silentium veterum historicorum, qui id vel sua culpa omiserunt, vel certe obliuione prætermiserunt. Nec est cur Onuphrius magis eorum obscuro silentio, quam expressa auctoritate nitatur.

Secundo obiicit Onuphrius, dicens electiones Imperatorum ab Othone Tertio vsque ad Federicum Secundum factas fuisse, non à Septemuiris, sed ab omnibus Germaniæ Principibus, testis, inquit, Othone Frisingensis lib. 6. cap. 27. Conradus Rex II. Germanorum & Imperator I. electus fuit communi omnium prociatum consensu. Item Henricus II. Rex Germaniæ, sed Imperator I. qui Othoni III. proxime successit, electus fuit, ut ait idem Otho Frisingensis lib. 6. cap. 27. communiter ab omnibus Germaniæ primoribus. Henricus Quartus Rex, Imperator III. electus est ab Episcopis & Principibus Germaniæ: ut scribit Abbas Vrspergenfis in Chronico anni 1053. Henricus V. Rex, Imperator IV. electus est ab vniuersis totius imperii Primatibus, Ecclesiasticis, & laicis, qui duo & quinquaginta numerabantur, teste Vrspergenfis in Chronico anni 1106. Vbi etiam dicit solam abfuisse Saxoniam Ducem, nec tamen vllam rationem eius absentiae habitam esse. Lotharius Secundus electus est ab Archiepiscopis duobus, Episcopis octo, Abbatibus permultis, & præcipuis Aulæ Regalis primoribus, ut scribit Continuator Chronici Sigiberti anno 1026. Conradus Tertius Rex, Imperator II. electus est à multis Principibus, non vocato Duce Saxonie, & vacante sede Moguntina: teste Othone Frisingensi lib. 7. cap. 22. Federicus I. ab omnibus totius Germaniæ Optimatibus electus est, ut scribit idem Otho Frisingensis lib. 2. de rebus gestis Federici cap. 1. Philippus à Sueuis & Saxonibus, Banaris & Bohemis Principibus electus est, ut refert Vrspergenfis in Chronico anni 1198. Otho IV. à Coloniensibus & Argentensibus, & aliis nonnullis electus est, ut scribit idem Abbas in eodem loco. Federicus Secundus adhuc puerulus ab Alemanniæ Principibus pene omnibus, viuentis patre electus, ac deinde in Schismate aduersus Othonem IV. à Rege Bohemiæ, Duce Austriæ, Duce Bavarie, Lantgrauie, Thuringiæ, & aliis plurimis Principibus receptus est, eodem auctore Vrspergenfis ibidem. Respondeo plures quam septem Principes ad electionem conuenire solitos fuisse, sed qui non tam eligerent, quam electum à Septemuiris sua præsentia approbarent: Et ideo plurimum, quam septem habita est ratio. Item fortassis quamuis à Gregorio V. edita sit Constitutio de 7. Electoribus, non statim, ut interdum accidit in his, vsu recepta est & confirmata.

Septimo quaeritur, Cur ius eligendi Imperatorem, datum est Septemuiris Germanis? Respondeo: multis & magnis de causis datum esse. Primo, ut non hereditario iure, sed per electionem Imperator crearetur. Secunda:

vsoli Principes, non populus vniuersus, Imperatorem eligerent. Tertia, vt ij Principes Germani essent, quia ad Germanos Reges, vt omnium potentissimos, & Ecclesie Romanæ admodum studiosos, quales fuerant Otho I. II. & III. Imperium translatum erat. Vicina, vt septem tantum eligerent, & ita contraria populi studia, dissidia, seditiones, & tumultus, quæ solent in huiusmodi electionibus accidere, tollerentur. Nam vsque ad Othonem Tertium vniuersus populus ad electionem Imperatoris erat sollicitus conuenire. Conradum enim, qui Ludouico Arnulphi Imperatoris filio proxime successit, omnis populus Franconum & Saxonum elegit, teste *Vitichindo lib. 1. rerum Saxoniarum. & Luitprando lib. 6. cap. 7. de rebus per Europam gestis*. Henricum qui Conrado successit, ab omni populo Franconum & Saxonum Regem creatum fuisse, scribit idem *Vitichindus eodem libro*. Othonem Magnum Henrici Regis filium ab vniuerso populo electum esse, idem auctor *libro 2. testatur*. Othonem Secundum Regem omnis populus salutauit vna cum Proceribus, teste *Continuatore Chronici Reginonis anno 1061*. Othonem Tertium creatum Regem à Germanis, qui tum frequentes Romæ aderant, vbi paulo ante Otho Tertius obierat, refert *Platina in vita Benedicti VII*. Post Othonem Tertium non videtur populus ad electionem Imperatoris conuenisse: quare soli principes Regem eligere & creare ceperunt.

Quæres, An Romanus Pontifex possit Electores iure eligendi priuare? Ioannes Andreas in *cap. Ad Apostolica, de sen. & re iudicata, in 6. Glossa in eo. capite, in verbo, nisi autem*, aiunt non posse.

Sed Augustinus Triumphus in *sum. de potesta. Ecclesie, quas 35. art. 3. affirmat posse*. Breuiter id ratio ipsa demonstrat: quia vt constat ex eo capite, & *Clem. 1. de iur. iuran. & cap. Venerabilem, de elect.* per sedem Apostolicam à Græcis ad Germanos Imperium est translatum, ergo per eandem sedem, si iusta subsint cause, potest ad aliam gentem & nationem transferri. Item ex eisdem capitibus suprapositis habemus, Romani Pontificis auctoritate ius eligendi esse Septemviris Germanis concessum, ergo idem Romanus Pontifex potest illius eligendi abrogare: Quod autem Andreas, & Glossa negant, id posse facere Pontificem: puto nihil aliud eos dicere voluisse, nisi, id non posse Pontificem pro arbitrato suo, sine iusta causa. Quemadmodum enim Imperium à Græcis transtulit ad Reges Germanorum iustus de causis, sic etiam si iusta cause subsint, potest Germanos tali iure priuare.

Sed quænam sunt illæ iustæ cause? Respondeo, esse communem totius populi Christiani salutem, pacem, tranquillitatem, & bonum: Vt si Electores omnes (quod absit) essent hæretici, aut schismatici. Item si vocati, aut moniti omnino negligerent, aut recusarent Imperatorem eligere, cum magno Ecclesie, & populi Christiani detrimento: nam Imperator eligitur, & creatur, vt pater, tutor & protector Ecclesie, ergo Romani Pontificis interest curare, vt Imperator eligatur, qui Ecclesiam, & populum Christianum tueatur, & defendat contra Christiani nominis hostes. Quod autem dicimus, Romanum Pontificem posse ius electoris abrogare: ita accipiendum est, vt id possit ad tempus, & in perpetuum: Ad tempus scilicet, si causa iusta adsit: in perpetuum vero, si id quoque iustæ cause postulerint.

Ex prædictis colligitur, vacante imperio, posse Pontificem, Electores iure eligendi ad tempus priuare, & Imperatorem per seipsum eligere: vt docet Ioannes Andreas, & *Glossa in cap. Ad Apostolica, citato*: & id intelligitur iustus de causis, videlicet quia Electores admoniti suum munus & officium negligerent, aut quia nolunt id exequi, quod debent: aut quia vocati & expectati, electionem plus æquo differunt cum ingenti Ecclesie incommodo & damno. Porro quando expediat Electores tali iure priuare ad tempus, vel in perpetuum, non nostrum est, sed Romani Pontificis considerare.

Exstat aureum diploma Caroli IV. Imperatoris in libro quodam, qui inscribitur Fasciculus rerum: in quo decernitur, vna cum de obitu Imperatoris in diocesi Moguntina constiterit, Archiepiscopus Moguntinus infra vnum mensem literis ad singulos Electores datis id denuntiet, vt illi infra tres menses à die, quo sunt de ea recetiores facti, conuenire possint & debeant per se, vel per Nuncios, sine Vicarios ad id destinatos in urbem Francoforti. Item constituitur, vt quisque princeps, Elector cum ducentis equitibus tantum ad præfatam urbem conueniat; & vt sexaginta tantum armatos equites secum deducat. Item, vt Elector, qui per se, vel per alium legitime non accesserit, aut sine iusta causa è loco destinato recesserit, tunc suffragio careat. Deinde præcipitur, vt Electores postquam ad prædictam urbem conuenierint, die proxime sequenti summo mane in aede sancti Bartholomæi Apostoli, Missam sancti Spiritus decantandam eurent, & ei intersint, & iurent tacto sacro Euangelio sancti Ioannis, quod incipit: *In principio erat Verbum*: & promittant se electuros quem idoneum, quoad fragilitas patitur humana, iudicauerint, omni pretio remoto, pacto, stipendio, vel quolibet alio promisso: Insurgendum vero accipit Moguntinus Archiepiscopus. Præterea decernitur, vt nullus Elector ex urbe recedat, nisi prius maior eorum pars elegerit Regem. quod si infra triginta dies à die iurandi continuos Regem non elegerint, & electionem distulerint, pæne tantum, & æqua vescantur tandiu, quamdiu Regem non elegerint.

C A P. IV.

Alia quæstiones de Electione Imperatoris diluuntur.

Primo queritur, An eligatur in Regem, an in Imperatorem is qui eligatur à Septemviris Germanis? Respondeo, in iure Canonico expressum esse, cum eligi in Regem Romanorum, postea vero in Imperatorem promouendam. In *cap. Venerabilem, de elect.* dicitur: [Electum in Regem, & Imperatorem promouendum.] Et *cap. 1. distinct. 23. vers. scilicet. Eligatur*: sic est: *Quis in præsentis Rex habetur, & futurus Imperator, Deo consentiente speratur*.

Quæres, quorumnam Rex eligitur? Ioannes Andreas in *cap. venerabilem, de elect.* dicit, eligi in Regem Germanorum. Sed veritas est, quod ait Panormitanus in eo capite, eligi in Regem Romanorum. Nam in *Clem. 1. de iur. iuran. §. 1. legitur hæc: Henricum Imperatorem tunc Regem Romanorum*. Item ibidem §. Nos: *Ipsium nominatumus, de nuntiandumus, & declarauimus in Regem Romanorum, in Imperatorem postea promouendum*.

Obiicit, id quod habetur in *cap. Ad Apostolica, de sen. & re iudic. in 6.* [Illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio.] Respondeo, dicitur, (*Imperatoris*) videlicet postea promouendi, nam Electus in Regem Romanorum, postea Imperator creatur. Et sciendum est, olim, antequam electio Imperatoris ad septemviris Germanos Romani Pontificis auctoritate redacta esset, Regem Germanorum eligi aliquem consueuisse, qui deinde ab Italis Lombardis eligebatur, & à Mediolanensi Archiepiscopo coronabatur in Regem Italiae, tandem à Romano Pontifice annuente vniuerso populo Romano, Imperator Romanorum vocabatur. Vnde Carolus Magnus, qui primum Aquisgranum erat creatus, & coronatus Rex Germanorum, postea in Italia, Longobardis bello deuictis, se fecit in Regem Italiae coronari, & Pipinum filium Regem Italiae nominari. Post Carolum Magnum successerunt ordine, Ludouicus Pius, Lotharius, Ludouicus Iunior, Carolus Caluus, Ludouicus Balbus, Carolus Crassus, & Arnulphus: quorum singuli fuerunt Re-

ges Germanorum, & deinde ab Italis electi Reges Italiae, & postea coronati à Romano Pontifice Imperatores. Arnulphum secuti sunt Ludouicus filius eius, Conradus I. & Henricus I. qui Reges quidem Germanorum fuerunt, sed non Reges Italiae, vel Imperatores electi atque coronati. Post editum Decretum à Gregorio Quinto de Imperatore eligendo, septemviri Germani Regem Romanorum dicuntur eligere: quoniam etiam si eligatur Rex Germanorum, quia tamen eligitur in Imperatorem postea promouendum, reuera eligitur in Regem Romanorum. Item, ut supra dixi, Romanus Pontifex ius eligendi ad septemviroso Germanos reuocauit, ut schismata ex Imperio tollerentur. Nam post Carolum Crassum quidam Itali in Regem Italiae elegerunt Berengarium Ducem Florouillensem, alii Widonem Ducem Spoletanum, alii Arnulphum Regem Germaniae. Post Arnulphum itidem quidam Itali volebant eundem Berengarium, alii Lambertum filium Widonis, quem ipse pater Wido Regem appellauerat, & socium Regni sibi adiunxerat, alii Ludouicum filium Basilonensis in provincia Regis contra Berengarium vocarunt, & Regno Italiae praefecerunt. Mortuis vero Widone, Lamberto, Arnulpho, Ludouico, regnauit in Italia solus Berengarius: sed contra ipsum multi Itali Rodolphum Burgundiae Regem in Regem Italiae elegerunt. Quo deinde absente, & extincto Berengario, Italici Hugonem filium Lotharii, nepotem Lotharii in Lotharinga Regis, pro nepotem Ludouici Secundi, Comitem Arelatensem, Regem Italiae creauerunt: & hic filium suum Lotharium, Regem Italiae nominauit, quia scilicet sibi socium in Regno assumpsit: qui deinde mortuo patre, solus in Italia regnauit. Sed contra eum Itali Berengarium Secundum Berengarii primi ex filia nepotem, Regem constituerunt, & ipse postea filium suum Adalbertum Regem Italiae appellauit. Contra hos plerique Itali Othonem Magnum, Germaniae Regem vocarunt, & in Regem Italiae elegerunt, Othoni Magno successit in regno Germaniae & Italiae Otho Secundus filius, Othoni Secundo, filius Otho Tertius in utroque regno successit: post quem edita est constitutio Pontificia de septem Electoribus Imperatoris.

Secundo queritur, An in electione Imperatoris sufficiat maior pars Electorum suffragium ferentium? Respondeo, cum Abbate in cap. Venerabilem, de Elect. sufficere: quae sententia colligitur ex praedicto cap. Obiectioni, versio. Quamuis plures ex illis. Vnde non requiritur consensus omnium septem Electorum: quemadmodum etiam in electione Episcoporum & aliorum, qui praesentantur Ecclesiis, non est necessarius omnium Electorum consensus, sufficit enim maior pars ad electionem, iuxta id quod habetur in cap. Licet, ad finem, de elect.

Obiectiones id quod legitur in Clem. 1. de inuener. §. Nos eodem, illis verbis, Facta nobis de electione huiusmodi concordia, & legitima plena fide: sed concors electio non dicitur, nisi cum omnes consentiant nemine discrepante, ut declarat Glossa in cap. Cipientes, §. Ad hac, in verbo, concordem, de elect. in 6. ubi citat Galieum, Archidiaconum, & Canones, ac iura, & Glossam in c. Quorundam, de elect. & aliam Glossam in Clem. Ne Romani, in verbo, concorditer, de elect. §. Eo tamen, quae ait, non dici concorditer factum, quod à maiori parte factum est, etiam si vnus tantum discrepet, quod etiam docet Panormitanus in cap. In causis, de elect. & Baldus, & Ancharanus ibidem: quoniam in l. Suum §. Hodie ff. de pactis, ut diuersa ponuntur, actum esse aliquid à maiori parte, & factum esse concorditer. Respondeo, in iure duplicem esse concordiam, vnam plenam re ipsa, & vere, scilicet, quando omnes consentiant, ita ut nemo dissideat: alteram, quae dicitur concordia iuris fictione, quando secundum Canones, leges & iura in electione alicuius requiritur, & sufficit maior pars electorum. Sic Alexander in l. Citra suum, §. Hodie: haec enim concordia est talis & tanta, qualem, & quantam iura postulant. Ac proinde id quod dicitur in Clem. de iur. iuran. (Facta nobis de electione huiusmodi concordia.) intelligitur concors electio iuris fi-

ctione, nimirum facta à maiori parte, haec enim dicitur Canonica & legitima electio, iuxta id quod habetur in l. Quod maior ff. Ad municipalem, §. in c. Apostolica, cum Glossa, distinet. §. 6. & cap. Cum inter Canonicos, de elect. Sciendum tamen est, cum plures eligunt, ut Collegium, vel Vniuersitas, tunc sufficere maiorem partem electorum, ut concors electio dicatur, nisi aliud Canones, vel leges expresserint. Cum vero plures eligunt, ut singuli, tunc requiritur omnium consensus, ut concors electio sit. Abbas in c. Cum olim, ad finem, de senten. & re iudicata.

Tertio queritur, Intra quantum temporis spatium debeant electores eligere Romanorum Regem, postea in Imperatorem promouendum? Respondeo Glossa in cap. ad Apostolica, de senten. & re iudicata, in verbo, eligunt in 6. non esse statutum in iure Canonico certum tempus, in eligendo Imperatore: quamuis in aliis electionibus definita sint certa tempora. cap. Ne pro defectu, de elect. §. cap. 2. de concess. praeben. At vero ratio ipsa naturalis praescribit, ut electio Imperatoris fiat, cum primum fieri commode potest, quia Imperator eligitur, ut patronus, defensor, & propugnator Ecclesiae, & ideo si in longum tempus eius electio differatur, posset Ecclesiae nocere non parum dilatio diuturna.

Quarto queritur, An si Electores dissentiant, ita ut sint utrinque pares, nec fiat accessus aliquorum ad alios, possit iure Romanus Pontifex vnus ex illis quem voluerit, perse Imperatorem eligere? Respondeo, cum Glossa, & Panormitano in cap. Venerabilem, de elect. posse. Idem etiam sentit Augustinus Triumphus in summa de potesta. Eccles. quest. 35. art. 5. & colligi videtur ex cap. Venerabilem, de elect. illis verbis: Fauere possumus alteri partium. Et certe si Electores penitus dissentiant, nec alii ad alios accedant, & pius moniti, ut consentiant, in discordia perseuerent, & noxia Ecclesiae diuturna dilatio videretur, negari non potest, quin Romanus Pontifex possit alterum ex illis, quos proposuerant, in Imperatorem eligere, ne diutius Patrono & protectore, cum suo damno & dispendio careret Ecclesia: quemadmodum accidit cum Patroni Ecclesiarum dissentiant in nominandis & offerendis Clericis, qui Ecclesiis praesentantur. cap. Quod autem, de iure patron.

Quinto queritur, An si Electores in Regem Romanorum, scientes indignum elegerint, ad Romanum Pontificem deuoluatur tunc eligendi potestas? Respondeo, cum Abbate in cap. Venerabilem, de elect. nihil esse de hac re in iure Canonico constitutum: nihilominus tamen cum ratione ipsa, & iure congruere videtur, ut tunc facultas eligendi ad summum Pontificem reuocetur: tum quia eam potestatem Electores à summo Pontifice acceperunt: tum etiam quia in caeteris electionibus ius eligendi deuoluitur ad superiorem, cuius est electionem approbare, vel confirmare. Sed Romani Pontificis est electum Imperatorem approbare, vel confirmare, ergo ad eum reuertitur potestas eligendi, si Electores omnes indignum scientes elegerint. Querit aliquis, quis censetur indignus? Respondeo, indignum iure Canonico haberi haereticum hominem, schismaticum, sacrilegum, excommunicatum, tyrannum, peritum, ambitiosum, infamem, ut habetur in c. Venerabilem, de elect. versio. sunt enim notoria.

Si quaeras, Quid dicendum, cum non omnes Electores, sed aliqui scientes indignum eligunt? Respondeo, tunc potestatem eligendi penes alios etiam pauciores permanere, iuxta Glossam, & Abbatem in cap. Gratum, de postulat. pralato. Quid dicendum, si vnus tantum fuerit, qui cum caeteris indignum scientibus non consentit? Respondeo, cum Glossa, & Innocentio, Hostiensis, Abbate, & aliis in praedicto c. Gratum. in vno solo remanere ius collegii siue vniuersitatis. l. Licet ff. Quod cuiusq. vniuersis. Glossa, & Bartolus ibid. & ille si seipsum eligeret, merito ambitionis notaretur: c. Per nostras, de iure patrona. §. Glossa ibid. Item potestas eligendi quando deuoluitur ad alios quamuis pauciores, statim ad eos ipso iure absq. vlla sententia pertinere

& cle-

& electio tametsi à minori parte, in eo casu vim, & locum habet, iuxta illud, quod legitur in cap. Dudum. 1. de elect.

Quæres etiam, An quando Electores vnum aliquem ex ipsis delegerint, electus numerari queat inter eligentes? Ratio dubitandi est, quia nemo seipsum eligere potest, ait Glossa in cap. Per nostras. de iure patronatus. Respondeo, cum Abbate in cap. Licet. & cap. Cum in iure, de elect. & consil. 2. par. 2. esse numerandum, ita vt numerum augeat, & maiorem partem eligentium constituat, neque enim hic seruanda est formula in cap. Quia propter, de elect.

Sexto quæritur, Electoribus negligentibus suum officium & munus, ad quem potestas eligendi eo tempore deuoluitur? Respondeo, cum Glossa in c. ad Apostolica, de sent. & re iudic. in 6. ad summum Pontificem deuolui, & id ratio ipsa ostendit, quia potestas eligendi accepta est, vt supra diximus, à Romano Pontifice, ergo ex culpa Electorum, ad eum redit, ex quo deriuata est. Hoc tamen locum habet, vt docet Abbas in cap. Venerabilem, de elect. & Cardinalis in Clem. 1. de iur. iur. & Glossa in cap. predicto ad Apostolica. cum Electores ad Comitatus, vocati, admoniti, & expectati renuunt eligere Regem, vel negligunt: nam cum certum tempus ad eligendum iure non sit constitutum, eius admoneri debent Electores. Negligentia enim proprie dici non potest, cum tempus definitum non est. cap. Ex parte, de concess. prebenda.

Septimo quæritur, Quem gradum dignitatis habere debeat is, qui in Regem Romanorum eligendus est? Respondeo, nullum gradum in iure Canonico esse: sufficit enim, vt qui eligendus est, dignus ille sit & idoneus. Vnde eligi potest Dux, Marchio, Comes, vel alius quilibet princeps, vel minori etiam in dignitate constitutus: imo etiam priuatus quispiam, vt ait Castaldus in lib. de Imperatore quest. 9. Et potest eligi filius proxime post patrem, eodem auctore.

C A P. V.

De Confirmatione, Vnctione, Consecratione, & Coronatione Imperatoris.

Primo quæritur, An electus in Imperatorem, facta electione, debeat iure communi confirmari? In Clem. 1. de iur. iur. legitur, electum in Regem Romanorum examinari, & approbari à summo Pontifice. Idem etiam colligitur ex cap. Venerabilem, de elect. vnde Cardinalis in Clem. 1. predicta ait: electum in Regem Romanorum, approbationem accipere à Romano Pontifice, confirmationem non item: quia iura tantum dicunt approbari debere, non autem confirmari. Nam approbatio & confirmatio, diuersæ dux res sunt: confirmatio enim indiget superioris auctoritate, non autem approbatio. Sed reuera, non est quod negemus, electum in Regem Romanorum esse à Romano Pontifice confirmandum, vt docet Augustinus Triumphus, de potestate Papa, q. 38. art. 11. Ant. omni. 1. par. tit. 2. cap. §. 12. Item Glossa in cap. Legimus, distinct. 93. in verbo, Imperatorem, aperte dicit, electum Imperatorem confirmari à Summo Pontifice. Fatemur ergo, confirmationem & approbationem alias quidem in iure differre, vt confirmatio fiat auctoritate superiorum; approbatio priuatorum, vel inferiorum, esse Baldo in l. Barbarius, ff. de offi. praetoris. & colligitur ex l. Immunitates. C. de Agriculis, & Censibus, lib. 11. Cæterum in presenti negotio, hæc duo verba confunduntur, vt patet ex cap. Venerabilem, de elect. §. obiectioni, vbi primum legitur: approbando Regem, & postea, confirmando. Potest autem Romanus Pontifex electum in Regem confirmare per Legatum vel Nuncium ad id specialiter destinatum: vt ait Castaldus, in lib. de Imperatore, q. 17. Item antequam is qui eligitur, electionem acceptam & ratam habeat, electus dici simpliciter non potest, sed nominatus, vel designatus tantum: quamuis hæc duo sæpe confundi soleant.

Secundo quæritur, An electus in Regem Romanorum

facto oleo perfundi debeat? Respondeo, ex Clem. 1. de iur. iur. & ex cap. Venerabilem, de elect. constare cum vngi. Debet autem vngi à Summo Pontifice, vt ex eisdem locis colligitur. Si reges, quo oleo vngendus sit? Augustinus Triumphus de potestate Papa, q. 38. art. 2. ad finem, ait oleo Chriftimatis deliniri. Sed verius est, cum oleo quidem sacro, sed non Chriftimate perungi: nam in cap. 1. sacra Vnctione, §. vnde, ad finem: legitur Pontifices vngi Chriftimate, sed reges oleo: at differt Chriftina ab oleo, quod Chriftina cõficitur ex oleo & balsamo; oleum vero sacrum, balsamo admixtum non est, cap. 1. de Sacra. non iterum. & cap. 1. de sacra Vnctione. Si item quæras, in qua parte corporis vngatur Imperator? Respondeo, Pontifices vngi in capite, at Imperatores in brachio dextro, siue humero, siue carmo. cap. 1. de sacra Vnctione. §. Vnde, ad finem. Nam his partibus designatur potissimum principatus, iuxta illud Isa. 9. & factus est principatus super humerum eius. Vngitur vero Imperator in brachio, vel humero dextro, quamuis nihil expresserit de brachio dextro, quoniã dextra manus fortior, honorabilior & dignior est. Item vngitur signo Crucis impresso: quia per Crucem est victoria nostra. Præterea vngitur in æde S. Petri ad Altare S. Mauritii, vt dicit liber sacrar. Caremonia. scilicet. 5. cap. 3. quem citat Castaldus de Imperat. q. 24. num. 1. Fuit enim S. Mauritius inclytus miles, dux Legionis Thebææ, qui martyrium passus est, sub Diocletiano & Maximiano. Quæres itidem, An electus in Regem Romanorum vngi ab alio, quam à Romano Pontifice possit? Respondeo, iure communi Canonico, non vngi nisi à Romano Pontifice. Augustinus Triumphus de potestate Papa, q. 38. art. 2. idque colligitur ex Clem. 1. de iur. iur. illis verbis: A quo (Romano Pontifice) auctoritatem acceperunt, & infra: Petendi à nobis per nostras manus sibi vñctionem impendi. Item, ac dicentes vñctionem, &c. sibi per manus nostras debere concedi. Et cap. Venerabilem, de elect. dicitur: Ad nos spectat, qui eum inungimus. Et postea: Nos inungere. Item, postquam à nobis vñctio.

Cæterum priuilegio & mandato Romani Pontificis, præsertim absentis, potest electus in Regem Romanorum oleo ab alio deliniri. Vnde Cardinalis in Clem. 1. de iur. iur. dicit à Cardinali Hostiensis ex priuilegio Pontificio vngi. Hostiensis, & eum securus Ioannes Andreas in c. 1. de elect. aiunt, per Cardinalem Hostiensem absente Pontifice, ex antiqua consuetudine Imperatorem inungi. Idem refert Abbas predicto in cap. Venerabilem. Hinc est, vt Imperator sacratissimus dicatur, quia sacro oleo deliniri.

Tertio quæritur, An electus in Regem Romanorum, communi iure consecratus? Respondeo consecratus, vt colligitur ex Clem. 1. de iur. iur. & ex c. Venerabilem, de elect. qua etiam ratione vocatur merito sacratissimus: & sicut cum Romanus Pontifex vngit, sic etiam ipse suis manibus consecrat. Sed in quonam differt Imperatoris consecratio ab vñctione? Respondeo, vñctionem fieri oleo sacro, consecrationem vero sine oleo, solum, quia summus Pontifex super eum manus imponit, adhibitis certis quibusdam precibus, quibus Dei nomen & auxilium inuocatur: quemadmodum etiam sine oleo res quædam in Ecclesia precibus sacrantur. Aliter vero presbyteri & Episcopi consecrantur. nam presbyteri sacrum Ordinem recipiunt, Episcopi itidem accipiunt sacram potestatem certa quædam sacramenta conferendi, qua presbyteri carerent. Sunt qui putant, Imperatorem per consecrationem sacrum Ordinem recipere, & Subdiaconum fieri. Sed Glossa in cap. Valentinianus, distinct. 63. in verbo (secundum ordinem meum) que verba sunt ipsius Imperatoris, ait, ex hoc verbo, dixerunt quidam, quod Imperator debeat habere Ordinem: sed non est verum, quia habet militarem characterem 1. quest. 1. cap. Quod quidam, §. si forte. Gerit tamen officium Subdiaconatus, quando ministrat Episcopo. Sic ibi in Glossa ibi. & Abbas in cap. Venerabilem, de elect. dicit, hanc Glossam esse communi cõsensu receptam: nam hoc idem, cum Glossa docent Cardinalis in Clem. 1. de iur. iur. Speculator in si. de legib. §. Nunc ostendendum, vers. 29. vbi ait,

Impe-

Imperatorem vñctum, consecratum, & coronatum, non esse sacerdotem, nec subdiaconum, imo nec officio subdiaconi fungi, cum ministrat Episcopo, in quo vltimo, prædictæ Glossæ contradicit. Sed *testis Castaldo in lib. de Imperatore g. 29. num. 4.* alii Glossam approbant, dicentes Imperatorem veste subdiaconi indutum inseruire Romano Pontifici sacris operanti, præsertim in die Natalis Dominici, si in vrbe & curia Romana Imperator præsens sit, & in matutinis precibus, quæ in nocte Natalis Dominici decantantur, si in eis adsit, septimam Lectionem sub Euangelio: *Exiit edictum à Cesare Augusto*, publice cantare. Quidquid sit, certi iuris est, Imperatorem inter laicos censeri in cap. *Vbinam, distinct. 96.* Nec sacrum vllum ordinem habet, qui est matrimonio coniunctus, in libro *sacrarum ceremoniarum primo, sectione 5. cap. 3.* ut citat *Castaldus loco præfato*, legitur Imperatorem à Canonico S. Petri in Canonicum, & fratrem admitti: & post coronationem, recipi quoque in Canonicum, & fratrem à Canonico S. Ioannis Lateranensis.

Quarto quaeritur, An electus Imperator iure debeat coronam accipere? Respondeo, Imperatorem electum, vñctum, & consecratum, vt hæcenus dixi, coronam auream à Romano Pontifice accipere: vt *constat ex cap. Venerabilem, de elect. Et Clem. 1. de iurisdictione.* Glossa in prædicta *Clement. in verbo, vestigiis*, ait Imperatorem electum, triplici corona exornari, ferrea, argentea, & aurea, *Ferream accipit*, inquit, *Aquisgranum à præfule Colonienf: qua corona significat fortitudinem, qua vincere debet infideles, & rebelles conculcare.* *Secunda, est argentea: quam cum primum est in Italiam ingressus, recipit à Mediolanens. Archiepiscopo in villa Modociensis eiusdem diocesis, vel in ad S. Ambrosii: qua corona, inquit, designat munditiam mentis, & nominis claritatem, qua præditus esse debet Imperator.* *Tertia est aurea, qua per Papam Romæ in Ecclesia S. Petri ad altare S. Mauricii ordnatur.* Sic illa.

De hæc triplici Imperatoria corona iuris vtriusq; Doctores multa prodiderunt, quæ extant apud *Castaldum de Imperatore, quest. 33.* Quidam eorum senserunt, triplicem coronam Imperatorem accipere exemplo Romanorum Imperatorum, quibus tributū soluebat ex triplici metalli genere, videlicet ex ære, argento, & auro. Alii dixerunt, triplici corona Imperatorem donari, quia imperat tribus mundi partibus, scilicet Europæ, Africæ & Asiæ. Auctor libri *de sacris ceremoniis, cap. vlt. sectio 5. lib. 1. sub rubrica, de triplici Imperatoris corona* vulgarem esse, ait, opinionem, dicentem, triplicem coronam Imperatorem accipere. [Et licet Clarissimus, inquit, Iuriconsultorum suo tempore Baldus super hæc re opusculum ediderit, mystica metallorum significatione solertissime interpretando; tamen fabulæ sunt, & olim Romanorum Imperatores nulla coronatione aurea vñ fuerunt: quamuis Cæsar auream accepit. Coronantur itaque Imperatores variis coronis, pro varietate regnorum quibus præfunt: & Federico primo quinque coronæ aureæ datæ sunt, Prima ratione regni Francorum, Aquisgranum, Secunda, ob regnum Germaniæ, Ratisbonæ. Tertia, ob regnum Longobardicum, Papiæ: Quarta, ob Imperium Romanorum, Romæ: Quinta, ob regnum Italicum, Modocia: auream tamen temper accipit Imperator, secundum Orthodoxum Frisingensem Episcopum, virum doctum, qui scripsit historiam suorum temporum, Romanorum. Itaque Imperator ob Romanum imperium, vñam tantum coronam accipit, & Romæ, & à Romano Pontifice: alias vero coronas alibi, pro varietate regnorum, in quibus dominatur.] Sic ille. Certe ille auctor non dicit, fabulam esse, triplicem coronam Imperatoriam: sed fabulas esse, Allegoricas interpretationes iurisperitorum de triplici Imperatoris corona.

Quidquid senserint ac dixerint iuriconsulti, qui aliquando sunt historiariarum ignari, tres coronas accipit Imperator, *testis Sigonio lib. 7. de regno Italia*, tanquam imperii insignia: quarum accipiendarum ratio olim talis fuit:

Mortuo Rege, Principes & Episcopi Germaniæ, Aquisgrani conuenientes legitimis suffragiis regem Germaniæ aliquem ex suo corpore designatum, in folio Caroli Magni locabant, quod erat in aula Basilicæ S. Mariæ ab eo constructa, atque singuli apud eum Sacramenta dicebant. Ex aula inde in Basilicam descendente, Archiepiscopus Moguntinus, cum Clero occurrens excipiebat: ac populo frequenti Regem à Deo ac Principibus electum ostendebat. Populus porrectis manibus, & clamore sublato, nouo Regi fausta & prospera omnia precabatur. Inde Antistes, cum Rege progrediebatur ad Aram, super quam Regia insignia posita erant, atque ei primum gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde; tum sceptrum cum baculo porrigebat; ac demum oleo sacro perfusum, corona imposta consecrabat: inde excelso inter duas columnas in folio collocabat, vnde facile ab omnibus videri, & ipse videre omnes posset: ac diuinis laudibus cantatis, in regiam adducebat. Ibi Rex solemnem cum Episcopis ac proceribus epulum celebrabat, atque singulis pro cuiusq; dignitate donabat. Cæterum coronam Germanicam in omnibus Commentariis argenteam fuisse inuenio: Luitprandus etiam auream fuisse negat: sed auream prodit is, qui huius totius ceremoniæ est auctor Witichindus. Consecrationis autem ius ad Moguntinum Antistitem, qui Germaniæ Metropolitanus, & Regni Cancellarius erat, delatum est, quamuis Treuerensis id munus sibi conuenire contendere, quod Ecclesia sua cæteris antiquitate præfaret: Colonienfis vero, quod ea consecratio in suis finibus fieret. Rebus inde Germaniæ per solemnes conuentus compositis, ad regnum Italiæ, quod post hæc tempora, cum regno Germaniæ iunctum fuit, suscipiendum veniebat: vbi vero venturus erat, nuncios præmittebat, more iam tum à Francis instituto, qui ciuitatibus aduenturum Regem nuntiarent, ac sacramenta redderent, & feuda exigerent, aliaque aduenienti Regi debita officia indicerent. Italiam autem ingressus, recta Mediolanum adibat: ibi vero condito die in Ambrosianam ædem procedens, Archiepiscopo rem diuinam facienti, regis depositis vestibus, & Subdiaconi assumptis, ministrabat. Qua rite perfecta, Archiepiscopus sacro ipsum oleo inungebat, atque ad reliqua insignia, ferream ei coronam imponebat, ipsum solemnem adigens sacramento, se Italiæ iura in perpetuum pro viribus tutaturum: tum vero omnes Magistratus atque dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem adhibito Colonienfi Archiepiscopo, qui regni Italiæ Cancellarius erat, ex Legum scriptis, & Iuriconsultorum iudicio de rebus omnibus cognoscebat. Itaque ad Padum descendens, in campo quodam, qui Roncaliæ dicebatur, non longe à Placentia considebat, ibique castra in hunc modum faciebat. Loco aut natura plano, aut si inæqualis esset, manu atque opere complanato, vallum in orbem, aut in quadrum ducebatur. Fabrorum, opificum, mercatorum turba ad vñs necessarios sequens exercitum cum suis tentoriis & tabernis, si quadrata erant castra, suburbiorum, si rotunda, muri exterioris speciem afferebat. Intra castra, vicis apte distinctis vias dirimebant, plateas & portus effingebant, vt quasi vrbs quædam repentina existeret. In medio, Regis tabernaculum locabatur, templo simillimum, circaque Principes, vt quisque dignitate præstabat, tentoria sua figebant. His castris locatis, Rex ad stipitem præaltum scutum suspendebat, eoque omnes feuda habentes ad excubias regi ex instituto agendas, per præconem publicum euocabat, eademque ratione qui in comitatu eius Principes erant, singuli singulos sibi adductos valuafores citabant citabat: postredie qui non affuisset, feudo multabatur. Inde conuentu instituto ciuitatum Legatos, vel gratulantes excipiebat; vel excusantes, aut exposculantes audiebat, atque eorum controuersias Iuriconsultis adhibitis cognoscebat, ac leges, si erat opus, ferebat. Erat autem moris, vt primos dies in iure dicundo consumeret, alteros paci inter ciuitates con-

stituen-

stituendæ dicaret, extremis iura feudorum cognosceret, ac nouis legibus stabiliret. Conuentu peracto Romam, ad tertiam Imperii coronam accipiendam, ipso Archiepiscopo deducente pergebat: singula in itinere ciuitates, cum facultis, & faultis clamoribus occurrentes, debita obsequiorum officia enixe præstabant. Si minus, aut pecuniaria pœna multabantur, aut privilegiis priuabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam accesserat, relicto in pratis Neronianis exercitu, Leoniam urbem ingrediebatur, atq; ad Pœtificem, qui ipsum ex composito in gradibus Basilicæ Vaticanæ operiebatur, adorandum veniebat, atq; ad confessionem S. Petri deducto, supplicem ad Deum orationem habebat. Pontifex sacris operatus, ipsum ab Episcopo Mediolanensi oblatum, ac Diaconi vice functum, sacro oleo perungebat, digito anulum inferebat, ensen nudum tradebat, & capiti coronam auream imposita, sceptrum Imperatorum porregebat. Ille tactus Euangelis, perpetuum ac constantem te fore Ecclesiæ Romanæ, ac totius reipublicæ Christianæ defensorem, nouo sacramento sese obligabat. Deinde ab utroque ad Basilicam Lateranensem adibat, atque ibi reliquum ceremoniarum absoluebat. Itaque ab hoc tempore Rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ, & Occidentis imperium tenuit; ac propterea tres coronas accepit; vnam Germaniæ, argenteam, Aquiligrani ab Archiepiscopo Moguntino: alteram, in Italia, ferream Mediolani ab Archiepiscopo: tertiam Imperii, auream Romæ à Pontifice. Neque ante Pontificis consecrationem, Augusti, aut Imperatoris nomen usurpauit, sed Rex Germaniæ atque Italiæ, siue Rex Romanorum, & Imperator designatus appellatus est. Annos autem regnorum, & imperii, à diebus numerabant, quibus coronas Aquiligrani, Mediolani, & Romæ cepisset: quod ex diplomate eorum apparet. *Hæc omnia ex Sigonio in eo loco, quem superius allegauit.*

Porro coronam ferream, quæ Imperatoriam tanquam Regi Italiæ imponitur, Theodelinda Regina Longobardorum, vxor Agilulphi Regis instituit. Nam *vt Annales Mediolanenses referunt Sigonio in lib. 1. de Regno Italia, testantur*, hæc Regina studiis pacis intenta, & Catholicæ religionis studiosa, oppidum olim Moguntiarum, tunc vero Medæciam appellatum, quod duodecim millibus passuum aberat à Mediolano, nobilitauit, quia & Regiam ibi magnificam condidit, & Regiæ Basilicam nobilissimam addidit, S. Ioannis Baptistæ nomine consecratam: & constituit, vt Reges Longobardorum coronam ibi ferream acciperent. Referunt etiam Annales, Mediolanensem Archiepiscopum eo iure à Gregorio Magno decoratum, vt vacante Italiæ regno, ipse post quatuordecim dies suffraganeorum suorum Concilium aduocaret, atq; ex eorum sententia Regem constitueret, eumque corona ferrea à Theodelinda instituta redimeret. Addunt etiam coronam illam, auream quidem fuisse, sed circulo ferreo interiore intextam. Vnde post ferreæ coronæ nomen in regno Italico Longobardorum accepit. Ea corona decorari Reges Longobardorum consueverunt. Deinde vero cum Carolus Magnus deuictis desiderio Rege, regnum Longobardorum cepisset, corona ferrea Modæciæ coronatus est: quod deinde omnibus Italiæ Regibus solemnne fuit. Vnde ea corona redimiti, reges Italiæ vocabantur, non Imperatores, vel Augusti. Et cum olim Modæciæ coronarentur, postea corona Mediolanum est translata. Et ideo Mediolani eam nunc accipiunt, qui reges Italiæ eliguntur. Carolus item Magnus rex Francorum Germaniam bello vicit, accepit, & in ea multis templis extractis & magnifice dotatis, corona argentea Aquiligrani redimitus est: & instituit, vt reges Germanorum, qui deinde succederent, ea corona Aquiligrani donarentur: & ita postea factum est, vt eam coronam Germaniæ reges Aquiligrani à Colonia præfule: quamuis olim à Moguntino Archiepiscopo susceperent, *vt ex PPitichindo dixit superius Sigonius*. Idem etiam Carolus anno salutis humanæ

801. in die Natalis Domini a Leone Tertio Pontifice Romano Imperator Occidentis est constitutus, vt Ecclesiam Romanam, & rempublicam Christianam contra hæreticos Schismaticos, & alios Christiani nominis hostes defenderet. Et ita tamquam patronus, tutor, & protector Ecclesiæ factus coronam auream Romæ ab eodem Leone Tertio cum summa totius populi Romani lætitia accepit, & ex eodem tempore solempne fuit, vt Imperatores corona aurea Romæ à Pontifice exornarentur. & hæc de triplici corona Imperatoris.

Quinto queritur, Quibus Imperatores fuerint hætenus Romani Pontificis auctoritate coronati? Respondeo, sequentes.

Carolus Magnus, Anno Domini 801. in die Natalis Domini, *vt paulo ante dixi*, à Leone Tertio Romæ in ædes sancti Petri chlamydem Augustalem, & coronam auream accepit: quo facto, populus vniuersus ter exclamauit: *Carolo Augusto à Deo coronato, Magno, & piissimo Imperatori Romanorum, vis a, & victoria*. *Aymonius lib. 5. Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 5. Sigonius de regno Italia lib. 4.*

Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, vinctus, consecratus & coronatus est à Stephano Quarto Remis in Gallia, Anno 816. *Aymonius lib. 5. Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 5. Sigiber. in Chronico. Sigon. lib. 4.*

Lotharius filius Ludouici Pii, coronatus est Romæ à Paschali Primo. Anno 823. *Aymonius, Rhegino, Frisingensis, Sigiber. Sigonius lib. 5. supra citati.*

Ludouicus Secundus Lotharii filius coronatus est Romæ, in Basilica sancti Petri à Sergio Secundo. Anno 844. *Aymonius, Rhegino, Frisingensis, Sigiber. & Sigon.*

Carolus Caluus filius Ludouici Pii, frater Lotharii Imperatoris, patruus Ludouici II. coronatus est Rom. in æde S. Petri à Ioanne VIII Anno Dom. 876. *Aymonius lib. 5. Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 3.*

Ludouicus III. cognomento Balbus, filius Caroli Calui, coronatus est Lugduni in Gallia à Ioanne VIII Anno 878. *Aymonius lib. 5. Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 5.*

Carolus cognomento Crassus, filius Ludouici Regis Germaniæ, & nepos Ludouici Pii, patruelis Ludouici Tertii Bulbi, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Benedicto Octaui. Anno 881. *Aymonius, Rhegino, Frisingensis, Sigiber. & Sigon.*

Arnulphus filius Carlomanni ex concubina, nepos Ludouici Regis Germaniæ, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Formoso Pontifice Romano Anno 896. *Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 6. Sigiber. in Chronico, Sigon. lib. 6.*

Ludouicus Quartus filius Bolsonis, in Prouincia Regis, ex vxore Himmingarde filia Ludouici Pii, & sorore Caroli Calui, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Benedicto Quarto Anno 901. *Rhegino lib. 2. Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 6.*

Otho Primus olim Saxonie Dux, Germaniæ Rex, coronatus Romæ in æde S. Petri à Ioanne XII. Anno 962. *Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 6.* Ante hunc Othonem Primum, & post Arnulphum Imperatorem, Reges Germaniæ fuerunt Ludouicus, filius Ludouici Pii, & frater Lotharii, & Caroli Calui Imperatorum. Conradus, I. Dux Franconiæ, Henricus Dux Saxonie, pater Othonis Primi Imperatoris: Sed Reges Italiæ non fuerunt.

Otho Secundus filius Othonis Primi coronatus est Romæ in Basilica Vaticana Anno 968. à Ioan. XIII. *Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 7.*

Otho III. filius Othonis II. coronatus est Romæ in æde S. Petri à Gregor. V. Anno 996. *Frisingensis lib. 6. Sigon. lib. 7.*

Henricus I. è Duce Franconiæ factus Rex Germaniæ, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Benedicto Octaui Anno 1014. *Nauclerus in Chronologia par. 2. Generat. 34. Sigonius lib. 8. de regno Italia.*

Conradus I. I. ex Duce Suceviæ, factus est Rex Germaniæ coronatus est Romæ in Basilica S. Petri à Ioanne XX.

anno 1027. *Frising. libr. 6. Naucler. Gener. 35. Sigon. libr. 8. de Regno Italia.*

Henricus III. filius Conradi II. coronatus est Romæ in Æde S. Petri à Clemente II. an. 1047. *Frising. libr. 6. Naucler. Generat. 35. Sigon. libr. 8.*

Henricus IV. filius Henrici III. nepos Conradi II. dum puer esset, creatus est Cæsar anno 1057. Sed non est à Romano Pontifice coronatus: fuit enim hostis & persecutor Ecclesiæ, & Gregor. VII. Pontificis Romani. Contra eum Rodolphus Dux Sueviæ declaratus, & electus est ab Electoribus Principibus Rex Germaniæ, auctoritate Gregorij VII. & ab eo confirmatus Rex Romanorum; sed non est coronatus Imperator: *Naucl. Gener. 36. Sigon. libr. 9.* Item aduersus eum Conradus filius, quem in Regem Romanorum eligendum, & creandum curauerat, ad Romanum Pontificem se contulit, sed non est Imperator coronatus: *Sigon. libr. 9.*

Henricus V. filius Henrici IV. per vim coronatus est Romæ in Basilica Vaticana à Pafchali II. anno 4. quem captiuum abduxerat, cum Clericorum, & ingenti laicorum multitudine, & mortuus est absque virili prole. *Naucler. Generat. 38. Sigonius libr. 10.*

Lotharius II. ex Duce Saxonie factus Rex Romanorum, coronatus est Imperator Romæ in Æde S. Petri ab Innocentio II. anno 1133. *Naucler. in Chron. part. 2. Generat. 38. Sigon. libr. 11.*

Conradus III. Dux Sueviæ, Henrici V. filius, mortuo Lothario, electus est, & designatus Imperator anno 1138. non tamen coronatus à Rom. Pontifice. *Naucler. Gener. 38. Sigon. libr. 11.*

Federicus cognomento Ænobarð. Sueviæ Dux, nepos Conradi III. ex fratre Federico, coronatus est Rom. in Æde S. Petri, ab Adrian. IV. an. 1155. *Naucler. Gener. 39. Sigon. libr. 12.*

Henricus VI. filius Federici I. coronatus est Romæ in Æde S. Petri, à Cælestino III. *Naucler. Gener. 40.*

Otho IV. filius Henrici Ducis Saxonie electus, & deinde confirmatus à Prænestino Episcopo nomine Innocentij III. erat enim eius Legatus in Germania, & deinde coronatus est Romæ in Æde S. Petri, ab Innocentio III. anno 1206. *Naucler. Generat. 41.*

Federicus II. Henrici VI. filius in Regem Romanorum electus, confirmatus est ab Innoc. III. coronatus vero ab Honorio III. anno 1220. *Naucler. Gener. 41.*

Conradus IV. filius Federici II. electus est Rex Romanorum viuentis patris. anno 1237. *Naucler. Generat. 42.* sed non est à Romano Pontifice coronatus, & cum Federicum patrem Innocentius Quartus Imperio priuasset, Principes moniti ab eodem Innocentio, elegerunt Henricum Landgrauium Thuringiæ, & quia breui hic mortuus est, elegerunt Gulielmum Comitem Hollandiæ, viuentis adhuc Conrado Quarto, & deinde occisus est à Frisonibus: mortuo Conrado Quarto, postea per aliquot annos fuit interregnum, dissidentibus inter se Electoribus, quia quidam an. 1257. elegerant Richardum Cornubiæ Comitem, Fratrem Henrici Regis Anglorum, alij vero Alphonsum X. Castellæ Regem: Tandem anno 1273, electus est Rodolphus Comes Habsburgensis, qui fuit pater Alberti I. Ducis Austriæ. Non est coronatus, sed confirmatus à Greg. X. in Concil. Lugdun. ea conditione, vt anno proximo sequenti Romam venires, vnctionem, consecrationem & coronam accepturus. *Naucler. Gener. 41.*

Albertus I. Dux Austriæ, filius Rodulphi I. electus est an. 1299. *Naucler. Gener. 44.* mortuus est an. 1308. non est coronatus.

Henricus Septimus, Comes Luxemburgi accepta corona argentea in Germania, & ferrea in Italia, coronatus est aurea Romæ à tribus Cardinalibus Legatis Clementis V. in Æde S. Ioannis Lateranensis, 1311. *Naucler. Generat. 44.* obiit anno 1313. & postea anno sequenti Electores dissidentes elegerunt Ludouicum Ducem Bavarie, & Fredericum Ducem Austriæ. *Naucler. Generat. eadem.*

Azor. Inst. Moral. Pars 2.

Carolus Quartus, filius Ioannis Regis Bohemiæ, nepos Henrici VI. Imperat. Romæ in Æde S. Petri, coronatus est à Petro Cardinali Hostiensi Legato Innocentij VI. *Naucler. Generat. 35. Sigon. Electores elegerunt contra Carolum, Odoardum Regem Angliæ, sed electionem ille repudiauit. Postea elegerunt Guntherum Comitem, sed breui mortuus est.*

Wenceslaus Caroli IV. filius, Cæsar tantum fuit, non Augustus, nec coronatus Imperator. *Naucler. Generat. 46.*

Robertus ex Comite Palatino, & Duce Bavarie, electus est Rex Romanorum an. 1400. non est Imperator coronatus.

Sigismundus filius Caroli IV. Imper. Bohemiæ, & Hungariæ Rex coronatus Imperator est Romæ ab Eugenio IV. apud S. Petrum, an. 1430. *Naucler. Generat. 49.*

Albertus Secundus, Austriæ Dux, & Bohemiæ, & Vngariæ Rex, gener Sigismundi Imperatoris, fuit Cæsar, & Rex Romanorum electus anno 1438. sed non coronatus Imperator. *Naucler. Generat. 48.*

Federicus III. Ernesti Ducis Austriæ filius, coronatus est Romæ in Æde S. Petri à Nicolao V. anno 1452. *Naucler. Gener. 45.*

Maximilianus Federici III. filius, Cæsar electus, sed non coronatus Imperator.

Carolus V. Philippi Principis Hispaniæ filius, nepos Maximiliani Cæsaris, Federici III. Imperatoris pronepos, coronatus est Bononiæ à Clemente VII. an. 1530. Ferdinandus Rex Bohemiæ, & Vngariæ, frater Caroli V. Imperatoris, Cæsar fuit, non Imperator coronatus.

Maximilian. II. Rex Bohem. & Hung. Ferdinandi Cæsaris filius, Cæsar fuit, non coronatus Imp.

Rudolphus II. Rex Bohemiæ, & Vngariæ, filius Maximiliani Cæsaris, nepos Ferdinandi Cæsaris, Rex & Cæsar est.

Quæres, cur Imperatores coronati non fuerint ij, qui tantum in Cæsares, & Reges Romanorum electi sunt? Respondeo, id factum esse, aut quia commode in Italiam venire non potuerunt; Aut quia in Schismate electi fuerunt, Aut quia bellis, vel alijs negocijs implicati, & impediti intra Germaniam sese continuerunt: & quamuis coronam Imperatoriam non acceperunt, confirmationem tamen à Summo Pontifice habuerunt ij, qui sunt legitima auctoritate delecti. Negant quidam Romani Pontificis confirmationem vlla iuris necessitate requiri; & affirmant quorquor Imperatores eam habuerunt, sponte sua eam à summo Pontifice petijisse, & accepisse. Sed iuri videtur esse consentaneum, vt eam habendam curent, & eam pij & religiosi Cæsares, siue Reges electi petierunt. Sicut enim Rex Romanorum auctoritate Pontificia à Septemuiris eligitur, sic electus eadem auctoritate confirmari debet.

Sexto quæritur, An certo aliquo die coronari debeat Imperator? Durandus in *Rationali Diuinarum Officiorum libr. 6. de Dominica quarta in Quadragesima ad finem*, sic ait: *Hac etiam die Christianus coronatur Imperator, vt semper coronam superna Hierusalem meditetur.* Pro quo facit quod legitur Cantic. 4. *Egredimini filia Sion, & videte Regem Salomonem in diademate: quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die iustitiæ eius.* Hæc ibi.

Cæterum cum iure dies certus constitutus non sit, Imperator coronari potest eo die, quo visum Pontifici fuerit: quamuis Nicolaus V. Federicum Imperatorem in Dominica quarta Quadragesimæ, diademate coronauerit. Item Imperatores Romæ, & non alibi redimiri corona aurea à Pontifice consueuerunt. Sed de loco nihil est etiam in iure Canonico constitutum. Et ita liberum est Pontifici, vbicumque voluerit, Imperatorem coronare: & Carolus V. à Clemente VII. annis proxime elapsis Bononiæ coronam auream accepit. Teste Castaldo in *lib. de Imperatore, qu. 35. n. 7.* Bononiæ disputatum est, cum Carolus V. Imperator est coronatus, An alibi potius quam Romæ posset Imperator coronari? quod Cyn^o in *l. Bene à Zeno-*

Hh

ne, C.

ne, C. de Quadrien. prescript. & Baldus in l. ultim. C. de Quadrien. prescript. & Innocentius in capit. Venerabilem, de elect. scriptum reliquerint: Si Imperator loco debito coronam non accipiat, potestatem administrandi recipere potest à Coloniensi Archiepiscopo. Quidam tamen tunc Bononiæ asserunt, non posse Imperatorem alibi, quam Romæ corona aurea redimiri. Sed tandem communi consensu definitum est, ad Imperij substantiam non pertinere, ut Romæ Imperator diadema suscipiat, sed eo loco, quem Romanus Pontifex designauerit.

Septimo quaeritur, An possit Imperator per procuratorem coronari? Respondeo, minime, quia antequam coronam accipiat, vngi, & consecrari debet: sed per procuratorem vngi, sacrarique non potest. Si roges, An per Nuncium à Romano Pontifice missum coronari queat? Respondeo, si vnctus prius, & consecratus Imperator sit, posse per Nuncium aliquem coronam accipere ita scilicet, ut Pontifex mittat coronam per aliquem Nuncium, vtream Imperatori præsul aliquis à Pontifice designatus imponat: non tamen sic, ut Nuncij nomine, & vice Imperator coronetur.

Octavo quaeritur, An Imperator dum diademate coronatur à Romano Pontifice, sese eidem Pontifici, & ecclesie iureiurando obligare debeat? Antonius Rossellus lib. de potestate Pape ait, ad iusiurandum Imperatorem non esse adigendum: tum quia diuino iure compellitur Summo Pontifici, & Romanæ Ecclesie obedire, tum quia iurando, sese Romani Pontificis, ut ille ait, Vasallum, Feudatarium, seu Vicarium esse profiteretur. Verum quidquid ille dicat, tum ex more, tum ex Canonico iure constat, Imperatorem diademate Romæ à summo Pontifice non coronari, nisi prius iuret, se Romanam Ecclesiam, & Christianam Rempublicam tutaturum, atque defensurum. Clement. I. de Iureiurando. vbi formula iusiurandi talis continetur: Ego N. Romanorum Rex annuente Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque iuro coram Deo & beato Petro, me de castro protectorem, procuratorem, & defensorem fore summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanæ Ecclesie in omnibus necessariis, & utilitatibus suis, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura eius, quantum diuino iussus adiutorio fuero, secundum scire, & posse meum, recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet, & hac Sanctæ Dei Evangelia: Sic tibi, Item ostendit Pontifex, Imperatores, qui præcesserunt, iusiurandum præstare consueuisse. Et certe in capitulo, Tibi Domino, distinctione 63, Otho I. Imperator iurauit in hunc modum: Tibi Domino Iohanni Papa ego Rex Otho promitto, & iurare facio per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per lignum hoc vniuersa Crucis, & per has Reliquias Sanctorum, quod si permittente Domino, Romam venero, Sanctam Romanam Ecclesiam, & te Rectorem ipsius, exaltabo secundum meum posse, & vitam, aut membra nunquam, neque ipsum honorem quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione, perdes: & in Roma nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, qua ad te, aut Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra S. Petri ad nostram potestatem peruenierit, tibi reddam: & cuiuscunque Italicum regimen commiserò, iurare faciam illum, ut adiutor tui sit ad defendendum terram S. Petri secundum suum posse. Hac tibi iurat igitur Imperator antequam diadema suscipiat à Pontifice Romano, se ipsius Pontificis, & Sanctæ Romanæ Ecclesie perpetuum patronum, propugnatorem, & protectorem futurum.

CAP. VI.

De Potestate Imperatoris, deque Imperij administratione.

Primo quaeritur, An electus in Regem Romanorum, vocetur Imperator, antequam à Rom. Pontifice coronetur? Castaldus, de Imperatore, quaestione quadragesima

quinta, ostendit communem esse vtriusque Iuris Doctorum sententiam, non dici simpliciter Imperatorem, sed designatum duntaxat, vel nominatum, siue electum. Adfect pro hac re Bartolomæus, Baldum, Innocentium, Speculatorem, Angelum, Abbatem, & Ioannem Andream, Felinum, & alios. Et profecto ex capitul. Venerabilem, de electio. & Clementina prima, de Iureiurando, colligitur, electum in Regem Romanorum, dici futurum Imperatorem. Olim cum Germaniæ Regnum cum Italia Regno coniunctum non erat, electi à Principibus Germaniæ in Reges, dicebantur Germanorum Reges, non Reges Romanorum: tales fuerunt post Arnulphum Imperatorem LVDOVICVS Quartus, filius eius, Conradus Primus, olim Franconiæ Dux; Henricus Primus, filius Othonis Ducis Saxonie, & Pater Othonis Primi Imperatoris, At postquam edita est constitutio de septem Electoribus Imperatoris, Germaniæ Regnum fuit semper cum Italia Regno consociatum: ac proinde statim, ut eligebatur aliquis in Regem Germanorum, censebatur pariter electus in Regem Italiae siue Romanorum: sed Imperator non dicebatur, donec à Romano Pontifice confirmatus, vnctus, & consecratus auream coronam acciperet. Hinc orta est diuersa ratio numerandi, & nominandi Imperatores apud Germanos, & apud Italicos scriptores. Germani enim nominant Henricum Secundum, Imperatorem qui Othoni Tertio Imperatori successit: sed Itali verius, & melius appellant hunc Henricum Secundum quidem Germaniæ Regem, sed Primum Imperatorem: quia Henricus Primus, fuit quidem Rex Germanorum, sed nunquam coronatus Imperator. Item, Germani scriptores vocant Conradum secundum eum, qui prædicti Henrici proxime successit: Italici vero, Conradum secundum Regem, sed primum Imperatorem quia Conradus Primus, fuit Germaniæ Rex, sed nunquam à Pontifice Romano Imperij coronam accepit. Eadem diuersitatis ratio secuta est in nominandis Henricis, & Conradis Imperatoribus, qui deinceps consecuti sunt.

Secundo quaeritur, An quamprimum atque electus aliquis est in Regem Romanorum, rite & legitime imperij res administret, ita vt rata sint, & firma, que facit, quamuis nondum sit coronatus à Romano Pontifice, vnctus, sacratus, vel confirmatus? Hanc quaestionem tractauit Oldradus cons. 180. & in vtramque partem multa argumenta congeffit, Glossa in Clement. prima, de iureiurand. in verbo, Reges, Albericus, Cynus, Salicetus, & alij in l. ult. C. de Quadrien. prescript. Castaldus de Imperatore, quaest. quadragesima sexta, Augustinus Triumphus, de potestate Ecclesie quaest. 39. Turrecremata in capitul. Legimus distinctione 39. quaest. sexta, Cornetus in consil. 177. volumine primo, & consil. prim. volumine tertio. Eam quaestionem publice olim disputauit Iacobus Arena, qua in disputationem inferuit Cynus in leg. Bene à Zenone, C. de Quadrien. prescript. & teste Alberico in leg. prædicta, Bene à Zenone. tempore Iohannis 22. & Benedicti XII. & Ludouici Bavari, electi in discordia Imperatoris, agitata est magnopere hæc controuersia: & Ludouicus ille Bauarus anno 1338. Constitutionem edidit consilio, ut refert Naucler. volum. 2. Chronogr. generat. 45. quorundam Religiosorum fratrum ex familia Franciscana, quam ad verbum habent Albericus, & ipse Naucler, in qua decreuit, ex sola electione esse verum, & legitimum Imperatorem, & rite, ac legitime eo ipso Imperij res administrare; & contrarium dicentes voluit, vt omni iure, dignitate, & officio priuarentur, & vt tanquam læsæ maiestatis poena punirentur. Addit idem auctor, se in Curia Romana eo tempore fuisse, & Prælatos, ac Doctores tum in Curia, tum extra eam de hac re consultos respondisse, ex sola electione Imperatorem legitimam Imperij administrationem consequi.

In hac igitur quaestione sunt duæ opiniones, quarum vna negat Imperatorem ex sola electione, Imperium administrare posse. Hac sententia solum considerat, quid po-

testatis ex iure communi Imperator habeat, non quid ex consuetudine, & more possit. Sic Glossa in l. Bene à Zenone, C. de Quadrien. *prescrip. in verbo, Infulas*; Salicetus, ibi. Hosti. in e. *super quibusdam de Verborum significat.* Speculator in t. de *Rescripti presentatio*. §. ult. *versiculi. Item quod obtentum*, Oldrad. *consil.* 180. August. *Triumphus de potestate Papa* q. 39. Turrecremata in e. *Legimus. dist.* 93. q. 6. Felin. in e. *com te. de rescrip.* n. 2. Qui omnes ea inmittuntur ratione, quod ex sola electione Imperator non est, vt superius ostendi; sed nemo operatur, aut equam sit.

Altera opinio affirmat, Imperatorem rite, & legitime ex sola electione habere ius, & auctoritatem Imperium administrandi. Huius opinionis Castaldus *intra h. de Imperatore*, q. 46. dicit esse Innoc. Archidiaconum, Baldum, Calderinum, Paulum, Imolam, Abbatem, Cardinalem Alexandrinum, Ioannem Andream, Bartolum, Andream Siculum, Antonium Rosellum, Albericum, & alios ibi ab eodem memoratos, videlicet Socinum *consil.* 63. vol. 3. Decium in e. *Eam te. de rescrip.* & Corneum *consil.* vol. 3. qui dicunt hanc esse communem sententiam, & reuera communis fuit. Ceterum Panorm. in e. *Venerabilem, de elect.* ait: *Licet olim varia fuerint opiniones, hodie receptum est consuetudine, vt statim administrat.* Inno. in eod. c. *Venerabilem*: *Si in loc. inquit, debito non posse coronam accipere, nihilominus ius & potestatem administrandi potest recipere à Colonienf. Episcopo, vel eam habet sua auctoritate.* Idem pene eisdem verbis ex Inno. habet Archidiaconus in e. *Legimus. dist.* 93. Hanc etiam sententiam sequitur Glossa *Clem. 1. de iur. in verbo, Reges.*

In presenti quaestione, si Canones, & iura per se sola consideremus, prima sententia magis videtur cum ipso iure Canonico conuenire: quoniam is, qui est electus in Regem Romanorum, nisi confirmetur, & coronetur à Pontifice Romano, Imperator non est, quamuis designatus sit in Imperatorem: ergo res Imperij non administrat.

Quomodo etiam institutus, & designatus hæres, testatore viuente, res hereditarias non administrat, nec vllus operatur, antequam sit. Præterea Imperator per confirmationem, & coronationem, Imperium consequitur: ergo ius Imperij administrandi ante non habebat. Adde quod cæteri, qui per electionem, & confirmationem superioris auctoritate facta præficiuntur ecclesijs, iurisdictionem non accipiunt ex sola electione, cuiusmodi sunt episcopi & cæteri Præfecti Ecclesiarum, c. *Nostr. de elect.* At vero consuetudine factum est, vt Imperator ex sola electione Imperium administrat, & ideo secunda sententia consuetudini, & vsui consentanea in hac controuersia valuit.

Ex his colligitur, quid sit dicendum ad ea etiam, quæ queri solent, An videlicet Imperator electus, & confirmatus, auctoritatem administrandi statim ipso iure consequatur? Auctores primæ sententiæ negant, ea ratione adducti, quod Imperator non est, nisi vngatur, consecratur, & coronetur à Pontifice. Auctores vero secundæ sententiæ opinantur, Imperatorem ius habere administrandi electione, & confirmatione, quia Episcopi electi, & confirmati, quæ iurisdictionis sunt, administrant, antequam consecrationem accipiant, quamuis non ea, quæ sunt Ordinis, quia non nisi per consecrationem Ordinem Pontificum suscipiunt: At Imperator per consecrationem, nullum Ordinem ecclesiasticum suscipit, Item, quia sicut matrimonium legitimo accedente consensu contrahitur, & annuli traditio matrimonium non facit, sed signum est matrimonij ante contractum ita per electionem, & confirmationem Imperator Imperium nanciscitur, consecratio vero, & coronatio sunt signa Imperij adepti.

Mihi vero magis placet, Imperatorem, si iura nuda inspiciamus, ius administrandi Imperij per solam electionem, & confirmationem sequi, quia reuera Imperator est, cum primum est Romani Pontificis auctoritate confirmatus, quamuis nondum sit vnctus, consecratus, & diademate redimitus: quia iurisdictionem Imperatoriam dat

Pontificia confirmatio, cætera vero sunt signa iuris, & potestatis obtentæ.

Soler etiam queri, An saltem ex sola electione Imperator rite, & legitime Regnum Romanorum, quamuis non Imperium administrat? Augustinus Anconitanus de *Potestate Ecclesiæ quæst.* 39. art. 3. sentit, per solam electionem, & confirmationem Pontificiam ius habere administrandi Regnum Germanorum, ex consuetudine, quam scit, inquit, & tolerat Romanus Pontifex: non tamen habere potestatem administrandi Regnum Italiæ, siue Romanorum: Sic ille. Olim ante Decretum Pontificium de septem Electoribus Imperatoris Germaniæ proceres eligebant tantummodo aliquem in Regem Germaniæ: nam vt constat ex historijs, Ludouicus Quartus, filius Arnulphi Imperatoris, Conradus Primus, & Henricus Primus, solum fuerunt Germaniæ Reges, non Reges Italiæ, aut Imperatores: Otho etiam I. Otho II. & Otho III. primum fuerunt electi in Reges Germaniæ, & donati Aquiligrani corona argentea ab Episcopo Moguntino, vel Colonienf. deinde fuerunt electi Reges Italiæ corona ferrea redimiti ab Episcopo Mediolanens. postea facti Imperatores Romanorum, ac diademate coronati Romæ à Summo Pontifice: at post editam constitutionem de septem illis Electoribus, nullus eligitur in Regem Germaniæ, quin simul in Regem Romanorum eligatur. Cumque id iuris, & potestatis eligendi habeant Septemviri Germaniæ Romani Pontificis auctoritate, consequens est, vt simpliciter potestatem administrandi Regnum Romanorum iure non habeat electus Rex Germaniæ, nisi approbatus, vel confirmatus à Romano Pontifice. Sed consuetudine receptum est, vt ius habeat administrandi, tum Regnum Germaniæ, tum Regnum Italiæ per solam electionem.

Queritur etiam solet, An Rex Romanorum electus, nondum tamen à Romano Pontifice confirmatus, possit priuilegia concedere, cuiusmodi sunt legitimis natalibus restituere, emancipare, manumittere, tutores, & curatores dare, dignitates, Comites, Marchiones, & Duces creare, tabelhones, & alios ministros, & magistratus constituere? Speculator *in tit. de rescripti presentatio*, §. *ultimo, versic. Item quod obtentum*, docet, ius habere concedendi priuilegia, & cætera, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, quæ iam à nobis commemorata: non tamen, posse, quæ sunt contentiosæ iurisdictionis. Sed dicendum est, iuris magis esse consentaneum, vt non possit vlla priuilegia concedere: vsu tamen, & consuetudine introductum est, vt priuilegia concedat, siue ad voluntariam, siue ad contentiosam spectent iurisdictionem.

Insuper queritur solet, An si Electores inter se in Electione Imperatoris dissentiant, possit vterque electus Imperator res Imperij administrare? Glossa in *Clementina prima, de iur. iurando*, §. *Porro, in verbo Reges*, testatur se vidisse, (vt illius verbis vtar) & habere formas quarundam literarum de registro Innocentij tertij, quæ emanarunt super negotio discordiæ, de qua fit mentio in *capitul. Venerabilem, de electione*, continentium; quod inconcussa consuetudo Imperij consona rationi iuris per patientiam Sedis Apostolicæ tolerata, & per tolerantiam approbata hoc habet, quod duobus electis in discordia, vterque administrat, & vt Rex omnem Imperij iurisdictionem exerceat: quod declarat verum, donec per Papam alterius electio fuerit approbata, vel reprobat. Hæc Glossæ sententia, teste Castaldo, de *Imperatore quaestione septuagesima*, est communi consensu recepta: led locum habet, cum electores ita dissentiant, vt sint suffragijs vtriusque pares, hoc est, cum tres vnum eligunt, & totidem eligunt alterum in Imperatorem. Nam si ex vna parte tres vni sua suffragia ferunt, & quatuor alteri, ille erit IMPERATOR electus, qui maioris partis suffragijs fuerit designatus.

Tertio queritur, An Imperator sit Summo Pontifici subiectus in his, quæ ciuilia, siue profana, & temporalia

sunt? Cardinalis hanc questionem tractavit in capitulo, Cum ad verum, distinctione 96. Castaldus de Imperatore, quaestio. 50. Michael Vulcanus, de Regimine mundi, parte secunda, q. undecima principali. Constat inter omnes, in his, quae sacra, spiritalia, & Ecclesiastica sunt, Imperatorem Romano Pontifici tanquam superiori esse subiectum: Item, ratione peccati, posse à Romano Pontifice admone-ri, corripi, & poenis Ecclesiasticis puniri. Vnde si vsurarius sit, si seditoforum, si facinorosorum, & perditorum hominum fautor, si sacrilegus, simoniacus, Schismaticus, vel Hæreticorum adiutor, pericurus, & in omnes crudelis, & in his peccatis, vel alijs in Ecclesiam contumax, potest à Romano Pontifice sacris interdici, vel à cætu piorum excludi, ut constat ex capitulo. *Mouit, de iudic. & cap. Ad Apostolica, de sentent. & re iudic.* Tota igitur difficultas est, An Imperator in his, quae sunt profana, & temporalia, sit Romano Pontifici subiectus, tanquam ei minor, & inferior; ita ut per eum possit iustis de causis Imperio priuari? Dux olim fuerunt Auctorum sententiæ, vna negantium esse subiectum: hoc ideo, quia voluit, Imperatorem supremam in his auctoritatem, & potestatem habere, ita ut nullum superiorem in terris agnoscat, & habeat. Hanc sententiam securus est Hugo, ut testatur Glossa in capitulo. *causam, quasi. 2. qui filij sint legitimi, in verbo, Ad regem*, eandem sequi videtur Michael ille supra nominatus, & testis Bartolo in l. 1. ff. de requirere. r. s. vlt. ad fin. Danes, Aligerius Philosophus, & poeta Florentinus senserunt, Imperium à Summo Pontifice non pendere: ob quod, ut idem Bartolus ait: fuit post mortem quasi de hæresi damnatus cum oppositum, inquit Bartolus, Ecclesia teneat, & pulcherrimis rationibus probet. Item Antonius tertia parte, tit. 21. cap. 5. §. 2. Danes, inquit, Florentinus poeta librum composuit de Monarchia, ubi vult probare, Monarchiam esse in Imperio Romano & in Rege Romanorum, quod nullam dependentiam habeat à Papa, sed à solo Deo, nisi in spiritualibus: & in hoc erravit. Additque, Quem errorem magis diffuse persecutus est Okam, Ordinis Minorum quasi ad nihilum deducens potestatem Papa, & Prælatorum in temporalis dominio. Quamobrem multi doctissimi, cum quaestiones disputabant de potestate Ecclesiastica. Hæc B. Antonius dicit, quia eo tempore Ludouicus Bauarus contendebat, se supremam potestatem in temporalibus habere, & Romano Pontifici solum in ijs, quae spiritalia sunt, esse subiectum, & Imperium esse proxime à Deo solo. Cuius sententiæ fautores fuerunt Marsilius Patavinus, & nonnulli ex familia Franciscana Apostatae, & Nicolaus Fabriensis Apostata ex Ordine sancti Augustini Eremitico, & Ioannes Parisiensis Theologus instituti Dominicanici.

Cæterum contra eam scripserunt Augustinus Anconitanus Augustinianus in li. de potestate Ecclesiastica Aluarus Pelagius Franciscanus, Durandus S. Portiani, & Ioannes Turrecre. Dominicani, & alij magni viri, multis rationibus comprobantes Imperium esse, ac pendere à Summo Pontifice, & Imperatorem etiam in temporalibus esse Rom. Pontif. subiectum.

Secunda sententia est, Imperatorem in temporalibus esse Romano Pontifice minorem, & inferiorem, eique iure diuino subiectum. Quæ sententia est communi consensu Iurisperitorum recepta: partim in capitulo. *Nonit, de iudic. partim in capitulo. Cum ad verum, distinctione 96. partim capitulo. Quoniam, distinctione decima, partim in l. Bene à Zenone, Codice de quadrienn. p. a scrip.* Et certe hæc sententia ex iure ipso Canonico aperte colligitur: in quo habemus, Romæ successorem Petri, & Christi Vicarium in terris, summam in Ecclesia potestatem habere, & omnes esse illi tanquam capiti, Pastori, & Patri subiectos. Nec satis est, si quis dicat esse quidem subiectos in spiritualibus, non autem in temporalibus, & supremam esse illius in spiritualibus potestatem, in temporalibus non item: nam Canones, & iura plane testantur, Ecclesiam veramque potestatem, & vtrumque gladium à Christo Domino accepisse. In capitulo. *Omnes, distinctione vigesima secunda, Ni-*

colaus Primus, de Romana Ecclesia loquens, illam, inquit, solus ipse Deus fundauit: & supra petram Fidei nascenti erexit, qui beato Petro aeterna vita clausero, terreni simul, & celestis Imperij iura commisit. Vbi Glossa. *Argumentum, ait, quod Papa habet vtrumque gladium, scilicet, spirituale, & temporale. Item Ioann. 2.2. in Extrauaganti, Si fratrum. Ne sede vacante, um dixisset, vacante Imperio, iurisdictionem ad Romanum Pontificem deuolu, subiungit: Cum in illo ad saecularem iudicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui terreni simul, & celestis Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictionem, & dispositionem deuoluuntur, & ea ipso, durante ipsius vacatione Imperij, per se, vel alium, seu alios exercuisse nescitur in Imperio memorato. Et in Extrauaganti, Vnam Sanctam, Bonifacij VIII. qua est inter communes, de Maerit. & obediens. Pontifex definit Ecclesie vnus vnus esse caput, non duo capita, quasi monstrum, Christum videlicet, & Christi Vicarium, Petrum, inquam, Petrique successorem, dicente Domino ipsi Petro, *Pascis oves meas.* Et infra dicit, esse vnum ouile, & vnicum Pastorem. in hac, eiusque potestate duos esse gladios, spirituales videlicet, & temporales: Vtrumque esse in potestate Ecclesie, temporalem quidem, pro Ecclesia, spirituales vero ab Ecclesia exercendum. Temporalem gladium manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis, regi, spirituales vero, sacerdotis ministerio. Et multis ibi probat Pontifex, gladium temporalem, spirituales esse subiectum. Primum, inquit, *Euangelica dicitur instrum. ut, duos esse gladios in Ecclesia. Nam dicentibus Apostolis. Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet: cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, Nimis esse, sed satis: certe qui in potestate Petri, temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Conuertere gladium tuum in vaginam. Secundo, oportet, inquit, gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituales subijci potestati. Tum quia Apostolus dicit: Non est potestas nisi à Deo: qua autem à Deo sunt, à Deo ordinata sunt: non essent autem Ordinata, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in supremam. Tum quia secundum beatum Dionysium, lex Diuinitatis est, infima per media in supra reduci. Spirituales autem, & dignitates & nobilitate quamlibet terrenam præcellit potestatem: quod etiam ex decernarum donatione, & benedictione, & ipsius potestatis acceptione, & ipsarum rerum gubernatione clarius oculis intuemur. Item quia veritate testante, spirituales potestas terrenam potestatem insinuere habet, & indicare, si bona non fuerit, iuxta vaticinium Hieremias. Ecce constituite hodie super gentes, & regna, & cætera quæ sequuntur. Spirituales vero potestas si desinat: minor quidem à suo superiore, suprema vero à solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: Spirituales homo iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur: Data est igitur, inquit, hæc auctoritas diuino ore, Petro, suisque successoribus in ipso discente Domino: Quodcumque ligaueris, &c. concludit Pontifex: Quicumque igitur potestati à Deo sic ordinata resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichæus, fingat esse principia: quid falsum, & hæreticum iudicamus: quia testante Moysa: non in principis, sed in principio calum Deus creauit, & terram. Porro subesse Romano Pontifici, omni humana creatura declarauimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. Hæc ibi Pontifex. Præterea Innocentius Quartus, in Concilio Lugdunensi, quod habetur in capitulo. *Ad Apostolica, de sentent. & re iudic. in sexto*, ex illis verbis Christi Domini, *Quoscumque ligaueris super terram, & cetera*, ostendit, Romanum Pontificem posse Imperatori ex iusta, & debita causa Imperium abrogare. Et Clementina, prim. de iureiurando. Clemens V. docet, Imperatorem iurare debere, se Romano Pontifici, & Romane Ecclesie fidelem futurum, & iura eiusdem Pontificis: & ecclesie perpetuo defenditur. Insuper ex cap. *venira bilom, de elect. & Clem. 1. de iureiurand.* constat, eum qui in Regem Romanorum eligitur, approbatur, vel confirmari à Romano Pontifice vngi, consecrari, coronarique: eo ipso igitur**

Impera-

Imperator Romano Pontifici, vt superior: subijcitur. In capitulo, *solita, de Maioritate & Obedientia*, Innocentius Tertius ostendit, Imperatorem non præesse Pontifici, sed subesse, & ei obedire debere: Rex, inquit, vel Imperator super bonos, & malos gladij potestatem accepit: sed in eos solummodo, qui utentes gladio eius sunt iurisdictioni subiecti. Et prerogatiuam Pontificis colligit ex verbis Hieremie præfatis: *Ecco constitui te super gentes, & regna; & ex eo, quod Deus fecit duo magna luminaria in firmamento cali: luminare maius, quod præfuit diei, & luminare minus quod præfuit nocti.* [Vtrumq; magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, vniuersæ Ecclesiæ, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa quæ præfuit spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor: vt quanta est inter solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.] Et deinde concludit Pontifex, se rationabiliter Imperatorem increpare potuisse: *quia nobis, inquit, in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, non distinguant inter has oues. & alius: & alienum à suo demonstraret ouili qui Petrum, & successores ipsius magistros non recognosceret, & pastores. Et illud, inquit, nouissimum est, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro ad successores ipsius: Quodcumq; ligaueris super terram, nihil excipiens, qui dixerit: Quodcumq; ligaueris, &c. Et in capitulo, *Valentianus, distinctione sexagesima tertia*, scribens Valentinianus Imperator Mediolanensis ecclesiæ Clericis, & Suffraganeis, ait: *Talem in Pontificali constitui te sede, cui & nos qui gubernamus Imperium, sincere nostra capita submittamus. & eius monita, dum tanquam homines delinquimus, necessario, veluti curantis medicamina suscipiamus.* Vnde Innocentius Tertius, in c. *Natus, de Iudic.* hoc exemplo Valentinianus probat, posse Pontificem Rom. in quemlibet exercere potestatem ratione peccati ab eo commissi. Non igitur, inquit, iniuriosum sibi debet Regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico iudicio se committat: cum Valentinianus inelytus Imperator, Suffraganeis Mediolanensis Ecclesiæ dixisset legatur: *Talem in Pontificali sede constitui te, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincere nostra capita submittamus.**

Idem Innocentius Tertius, in c. *Per venerabilem, qui filij sunt legitimi*: constituitur se in alijs regionib; extra Patrimonium beati Petri, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercere: *Non, inquit, quod alieno iuri præiudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, inter causam, & causam, lepram, & lepram; & iudicium intra partes videris variari: venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: qui iudicabit tibi iudicij veritatem, & facies quodcumq; dixerint, qui præfunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisq; eorum sententiam. Qui autem superbierit, nolens ob adire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrabit Domino Deo tuo, decreto iudicij morietur.*

Deinde ostendit Pontifex huiusmodi sacerdotem esse B. Petri successorem, cui Dominus in B. Petro dixit: *Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cali.* Idem probat ex Paulo, qui vt plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Argumentatur Pontifex ratione sumpta à maiori: quasi diceret: Si potestatem accepimus de causis spiritualibus iudicandis: ergo accepimus quoq; potestatem cognoscendi, & iudicandi causas temporales.

Præterea hæc sententia rationibus confirmatur. Nam omnis virtus, facultas, ars, disciplina, quæ circa finem aliquem versatur, videtur tanquam administris his viribus, artibus, & disciplinis, quæ occupantur in his, quæ sunt ad finem, ac proinde ars, quæ de fine tractat, præest, & præcipit ijs artibus, & disciplinis, quæ se exercent in eo, quod est ad finem: sed Summus Pont. tanquam Christi Vicarius curat, & tractat æternam salutem hominum, ergo præest vniuersis Principibus, Regibus, & Imperatoribus, qui cæ-

tera tractant, quæ ad ciuilem, & temporalem hominum salutem, & bonum referuntur. Deinde, vt argumentatur Glossa in capitulo, *Causam, de Foro compet. in verbo, Ad Regem.* in ecclesiâ, quæ est vnum corpus, duo simul capita esse non possunt: at qui ex Euangelio constat, beati Petri successorem esse Christi Vicarium, & caput ecclesiæ: iuxta illud Ioannis: *Pasce oues meas, & illud Matthæi: & super hanc petram ædificabo ecclesiâ meam:* ergo Imperator est illi subiectus: alioqui si supremam in temporalibus potestatem haberet, essent duo in ecclesiâ capita: vnum in spiritualibus, videlicet summus Pont. alterum in temporalibus nimirum Imperator: essent duo Dei Vicarij in terris, vnus in spiritualibus, alter in temporalibus, contra id quod habetur in capitulo, *Fundamenta, de Electione in sexto:* quæ omnia, quam absurda, quamque intolerabilia sunt, quis non videt? Item, si Imperator in temporalibus aberret à lege, & iure, & recta ratione, Romani Pontificis est ipsum corrigere, ad vitam rectam reducere. Quia temporalia, & terrena iudicantur, & diriguntur per regulam cælestium, & spiritualium, non è contrariio: ergo Imperatorem summus Pontifex iudicat, non Pontificem Imperator.

Vnum tandem adijcio, caute esse Albericum legendum in Dictionario, in verbo, *Electio*, vbi sic ait: *Pastores Ecclesiæ: tunc falcem in messem alienam fecerunt quatuor Decretales: vnâ de electione Imperatoris, quæ incipit: Venerabilem, & sibi de hoc not. per omnes. Alia est super dispensatione Federici Imperatoris Extra. de sentent. & re iudic. cap. Ad Apostolicam, in sexto. vbi etiam de hoc not. per omnes. Alia est super discordia orta, & sententia criminis laici. Matistatus lata per Imperatorem Henricum, quæ est in Clement. de sentent. & re iudic. Pastoralis. Alia est in Clement. prim. de Iureiurand. quod Imperator tenebatur prestare iuramentum fidelitatis Papa, & de aliqua potestate Papa super Imperatorem. Quæ Decretales, an sint iusta; DEVS nouit: nullam enim earum, saluo sanctorum consilio (& si feroneum foret, reuoco) credo iuri consonam: immo eas credo proditas contra iura, & libertatem Imperij: & iusto potestates distinctas, à DEO processisse. De quo satis notauit l. prim. Codic. de summa Trinitate, & Fide Catholic. Sic ille*

Certe Albericus multa his verbis dixit contra Pontificiam potestatem, quam vt filius reuereri, & tueri deberet. Nec enim Pontifex in messem alienam falcem immisit, cum Constitutionem edidit de electione Imperatoris, qui creator, vt patronus, & defensor, & propugnator Ecclesiæ, & proinde iure suo vitur Romanus Pontifex, cum iurandum excipit ab Imperatore, qui vult eum esse Romanæ Ecclesiæ, cuius auctoritate instituitur, patronum, & tutorem Ecclesiæ: cuius etiam concessa translatum est Imperium à Græcis ad Germanos, siue Francos. Item iure suo vitur Romanus Pontifex, cum Imperatori iustus de causis Imperium abrogat, sacris interdicit, & subditos à iurisdictionis vinculo, & religione soluit: vt fecerunt Gregorius Septimus, & Gregorius eo nomine II. Id vero tolerari nequit vilo modo, quod dicit, prædictas Pontificas Constitutiones editas fuisse contra iura, nec enim pugnant cum iure naturali diuino, vel Canonico, immo nec cum ipso iure ciuili, quod iuri Canonico subiectum debet esse, ita vt per ipsum corrigi, emendari, restringi, abrogari, & mutari possit. Verum contra hæc sententiam multa obijciuntur. Primum obijciebat Ludouicus Bauarus in Constitutione illa, quam edidit, quamque habet Nauclerus in *secunda parte Chronologia, Generat. 45. Anno 1337.* prædictam sententiam sacris Canonibus iuri, ac rationi aduersari, sicut expresse patet in cap. *Cum ad verum.* & cap. *Si Imperator,* & cap. *Duo sunt, distinctione. 96.* in quib; locis habetur: nec imperatorem iura Pontificatus, nec Pontificem iura Imperij sibi vsurpare debere: & imperatorem suæ potestatis priuilegia esse diuinitus consecutum. Item 23. quæst. 4. ca. *Quæsitum,* & ibi Glossa dicit, has potestates esse distinctas, & neutram ab altera pendere.

Imperator enim non habet imperium à Papa, sed à solo Deo, c. legimus. *distinct. 93.* vbi Hieronymus inquit, *exercitius facit Imperatorem.* vbi Glossa etiam addit, eum verum imperatorem esse ex sola electione, antequam à Papa confirmetur. Obijciebat idem etiam Ludovicus Bauarus, id quod legitur in cap. *Quoniam, distinctio. 10.* nempe: *Quoniam idem Mediator Dei, & hominum, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia viri utique potestatis discreuit propria, volens Medicinali humilitate hominum corda sursum efferi, non humana superbia versus ad inferiora demergi, ut etiam Christiani imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus: & Deo militans, minime secularibus negocijs sese implicaret, ac vicissim ne ille diuinis rebus praesidere videretur, qui esset negocijs secularibus implicatus.* Ecce, Ludovicus ille Bauarus aiebat: quomodo institutione Dei, imperatoria potestas, & auctoritas Pontificia sunt duæ potestates distinctæ, & neutra pendet ab altera? Hæc eadem obijciebat Petrus Cunerius in Senatu Parisiensi (Parlamentum appellant) tempore Philippi Valesij anno Domini 1329.

Ad hæc omnia respondeo, ex Innoc. III. *in c. per venerabilem, qui filij sunt legitimi,* duplicem illam potestatem, spirituales dico, & temporalem, esse distinctam functionibus, & officijs, & vtramque iure, & habitu summum Pontificem habere: & præterea spirituales habere vsu, & functione: temporalem vero in terris, ac locis extra Patrimonium Romanæ Ecclesiæ positis habere quidem vsu, & exercitatione in certis causis, non tamen in omnibus. Et hæc potestatem temporalem actione, & vsu habet imperator: sed habet eam Romani Pontificis potestati subiectam, & iure, & habitu ab eodem Pontifice pendente. Et ita Romani Pontificis est in certis causis imperatorem dirigere, corrigere, & iudicare, prout ad commune Reipublicæ Christianæ, & Catholice Ecclesiæ salutem, pacem, & utilitatem conducit.

Secundo obijciunt id, quod habetur in Authentica, *Quomodo oporteat Episcopos, collat. 1. Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei, à superna collata clementia, sacerdotum. & imperium: illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemque principio vtroque procedentia humanam exornant vitam.* Ergo Pontificis est, spiritualia, sacra, & diuina curare: imperatoris vero temporalia, ciuilia, terrena, & quæ ad tranquillum Reipublicæ statum pertinent, gubernare. Respondeo, iure, & habitu vtramque potestatem, spirituales, & temporalem penes Romanum Pontificem esse: sed functione, & vsu ad eum non pertinet temporalis potestas extra ea loca, quæ sunt in Patrimonio B. Petri, nisi certis ex causis: Et ideo in Authentica dicitur, Pontificem, spiritualia, & diuina curare, actione videlicet, & vsu, ad imperatorem vero temporalem, quia functione, & vsu, exercet eam. Item vtraque potestas iure, & habitu est à Deo, sed non eodem modo: nam in Pontifice est spiritualis, & temporalis proxime à Deo: spiritualis quidem iure & vsu, temporalis vero iure, non vsu, nisi in certis causis: in imperatore vero est temporalis tantum iure, & vsu, à Deo quidem non proxime, sed per Romanum Pontificem, à Deo est proxime in imperatorem deriuata.

Tertio obijciunt, in iure Canonico sæpe dici, imperatoris, & Regis, non autem Pontificis esse, cognoscere, & iudicare causas temporales. Vnde ipsimet Pontifices Romani consistunt, ad se causas spirituales pertinere, ad imperatores vero & Reges, causas temporales spectare. Hoc fatetur Alexan. III. *in c. Causam 2. & ca. Lator, qui filij sunt legitimi.* Idem quoque fatetur Innocentius Tertius, *in cap. Neuit in principio, de Iudicij, & in cap. Licet, & cap. Ex tenore, de Foro competent.* Immo Alexander Tertius *in cap. Si duobus, de Appellatio.* ait, Appellationem à Ciuili iudice ad Sedem Apostolicam non valere, nisi in ijs, qui sunt ecclesiæ temporali iurisdictioni subiecti. Vbi Glossa dicit in

verbo, *Credimus: Et ita patet, quod iurisdictionis temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec ea debet se introuentere in iudicium iudicij secularis: quod probat ex multis iuris capitibus. Idem colligitur ex cap. Regum. 23. quæst. secunda, & cap. Quassum, eadem causa, quæstione quarta. Item, cap. Quo iure, distinctione octaua ex Augustino dicitur, iure humano hanc rem esse huius, illam illius. Iura autem humana, inquit Augustinus, iura imperatorum sunt: quia ipsa iura humana per imperatores, & rectores sæculi Deus distribuit humano generi. Tolle iura imperatorum, & quis audeat dicere: Hæc villa est mea, meus est iste seruus, mea est hæc domus? Et capitulo, conuenior. 23. quæstione octaua, Ambrosius ait: Fundum, argentum, & cetera huiusmodi, ab imperatoribus nos habere: sed Basilicæ, & cetera, quæ diuina sunt, non esse imperatoris potestati subiecta: quasi dicat, imperatorum esse gubernare, quæ humana, & terrena sunt: Pontificum vero quæ spiritualia, sacra, & diuina. Respondeo, in iure Canonico dici, causas spirituales ad Pontifices pertinere, temporales vero ad imperatores, & Reges: quia nimirum actione, & vsu spiritualia tractare Pontificum est: temporalia vero imperatorum, & Regum. Et ideo Romani Pontifices spirituales causas cognoscunt, & tractant: temporales vero laicis iudicibus relinquunt: nam huiusmodi causas in certis solum euentibus Pontifices agunt, & iudicant. Et hoc dicit expresse Innocentius Tertius *in capitulo, per venerabilem, qui filij sunt legitimi.* Alioqui vero vtraque potestas, & spiritualis, & temporalis, habitu penes Romanum Pontificem est.*

Quarto opponitur id, quod Christus Dominus Matthæi 22. dixit: *Redde quæ sunt Cæsari, Cæsari:* quibus verbis ius, & potestatem Imperatoris approbavit, & Petro dixit: *Conuertere gladium tuum in vaginam.* Vbi gladium, id est, potestatem temporalem, Petro denegasse videtur: & Pilato Imperatoris ministro respondit: *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* vbi confiteri videtur, Imperatoris potestatem esse à Deo, non à Rom. Pontifice: & eidem Pilato alias dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* quibus verbis negat se temporalem regnum habere. Ergo Petro Vicario suo temporalem potestatem non dedit. Alibi quoque cuidam dicit: *Homo, quis me constituit Iudicem, ausi diuisorem inter vos: vbi subindicat nihil ad se pertinere causam de hereditatibus diuidendis.* Respondeo ad singula. Dixit Christus, *Redde quæ sunt Cæsari, Cæsari:* vbi Cæsaris Imperium non omni ex parte approbavit: sed dixit, vt ea, quæ illi debebantur soluerentur. Cum item dixit Petro: *Conuertere gladium tuum:* illi gladium non adem: sed prohibuit ne gladio vteretur: ergo potius ex hoc loco licet arguere, Petrum gladij ius habere, quam is non vsu eius, & exercitationem. Cum etiam dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* significauit se non habere Regnum more Regum, ac principum mundanorum, videlicet iure belli, vel per successionem hereditariam, vel per electionem hominum, vel per tyrannidem, & vim, vel per donationem vel emptionem humanam: quia reuera Christus Dominus regnum habuit spirituale, & temporale iure redemptionis, quo Mundum a peccati seruitute liberauit. Sicut enim Christus, vt Deus, iure creationis est totius mundi dominus: sic Christus, vt homo, totius orbis terrarum est dominus iure redemptionis: & habuit quidem ius regni, sed vsu sese sponte abdicauit, vt insignem mortalibus paupertatis, & humilitatis exemplum relinqueret. Et ideo negauit se vsu, & actione, non iure, habitu, & potestate iudicem, & diuisorem de hereditatibus. Cum Pilato demum dixit: *Non haberes potestatem aduersus me vllam, & c.* non concessit vllum Pilato ius, quo ipsum iure, & legitime iudicaret, sed concessit ius facti, quasi diceret: Nisi tibi desuper esset permillum, etiam factio ipso me nequaquam iudiceres, ac condemnares.

Ad extremum obijciunt, Imperium cepit ante Christi Domini ortum, ergo multo magis ante Pontificatum

Petri, ac proinde à Romano Pontifice non est. Item, si Imperator in temporalibus esset Romano Pontifici subiectus, liceret ab Imperatore ad Romanum Pontificem appellare; Imperator etiam esset, aut dici posset Romani Pontificis Vicarius; esset vt vulgo dici solet, Vassallus, aut feudatarius Pontificis. Respondeo, nihil ex his argumentis confici. Nam imperium, vt à Iulio Cesare, aut Octauio Augusto cepit, non fuit à Romano Pontifice, sed tyrannide, & vi, aut qualicumque belli iure acquisitum; & deinde expresso, vel tacito Populi Romani consensu confirmatum, & Imperatores vsque ad Constantinum, vel à populo, vel à Senatu, vel à militibus, vel etiam ab Imperatoribus nominabantur & eligebantur.

At Imperatores Christiani, Romano Pontifici subiecti fuerunt, & sunt, tanquam Christi Vicario. Nec tamen idcirco ab Imperatore ad Romanum Pontificem prouocatur, hoc enim pertinet ad functionem, exercitium & vsum potestatis: quem vsum Romani Pontifices sibi non sumunt, nisi in certis quibusdam casibus. Hinc etiam patet, cur Imperator non dicatur Pontificis Vicarius, nimirum ad nulum eius reuocabilis: quia Imperatoris est, quod ad vsum & exercitium spectat ordinaria imperij administratio: sed quatenus Imperator Christianus est: Romano Pontifici subiectus est, tanquam omnis suo pastori, tanquam filius patri, & tanquam membrum capiti. Et rursus, quatenus Ecclesie est Aduocatus, Procurator & Protector, ab Ecclesia Imperium habet acceptum, nimirum ab eo tempore, quo Carolus Magnus est Imperator Romanorum auctoritate Leonis Tertij constitutus, & ideo eligitur in Regem Romanorum, & à Romano Pontifice confirmatur, vngitur, consecratur, coronatur.

Obiici etiam potest id, quod habetur in Epistola 61. ex Registo Gregorij libro secundo, Indictione vndecima, vbi Gregorius scribens Mauricio Imperatori, sapius eum vocat Dominum suum, & se famulum, & seruum ipsius proficitur. Item dicit, ipsi Imperatori super omnes homines datam esse cœlitus potestatem, & manui eius commissos esse à Deo sacerdotes. Item ibidem scribit: *Sic ego quidem iussioni subiectus eandem Legem* (videlicet Imperatoriam, quam Mauritius Imperator rulerat, ne scilicet miles in Monasterio susciperetur) *per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordet, atque per suggestionem meam paginam serenissimis dominis nunciaui vtrouique: ergo quæ debui, excolui, qui & Imperatori obedientiam præbui: & pro Deo quod sensi, minime tacui.* Respondent quidam Gregorium hæc omnia dixisse modeste, & humiliter: sicut etiam se omnium seruum appellauit.

Data etiam imperatori potestas cœlitus est, hoc est, à Deo sed per Ecclesiam, & Romanum Pontificem, qui ipsum confirmat, vngit, consecrat, & coronat. Insuper Imperatori commisi sacerdotes sunt, nimirum, vt patrono, protectori & propugnatori Ecclesie. Respondenti etiam potest, hæc omnia dixisse Gregorium, quia à tempore Iustiniani Imperatoris Ecclesiam, & sacerdotes sibi tributarios, & quasi famulos fecerant Imperatores contra fas, & ius diuinum, vnde tunc Imperatores sacerdotibus, & Pontificibus dominabantur factò, non iure: & quia id factum permittit Deus, dicebantur sacerdotes esse commissi manui Imperatorum à Deo videlicet permittente, non iubente. Sicut Paganis olim subiecti erant sacerdotes Christiani non iure, sed factò.

CAP. VII.

Aliæ quæstiones de eadem Imperatoris potestate diluuntur.

PRIMO quæritur, An Imperator ius aliquid habeat in conferendis dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis? Respondeo, illum iure communi nullam auctoritatē habere, vt colligitur ex cap. Cum ad vtrum, dist. 96. illis verbis: *Ne ille* (scilicet imperator) *rebus diuinis præferre videretur,*

quæ esset secularibus negotijs implicatus. Et cap. Conuenior 23. qu. 16. dicitur: *Et quæ diuina sunt, imperatoria potestati non sunt subiecta;* item cap. Duo sunt, & cap. si imperator, dist. 96. *Ad sacerdotes Deus voluit, quæ in Ecclesia disponenda sunt, pertinere non ad sæculi potestates.* Et infra: *Non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & sacerdotibus, omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari & distribui.* Item imperator est laicus, & laici nullum ius habent in huiusmodi. c. Si quis. 16. q. 7. & duob. sequentibus. & c. Messana. & c. Sacrosancta, de elect. Item, quamuis imperator vngatur & consecratur, laicus tamen est.

Secundo quæritur, An ex consuetudine possit imperator in his rebus supra dictis ius aliquid habere? Respondeo, minime, cap. Messana. & c. Sacrosancta de elect. id probat Ioannes Selua in tract. de beneficijs par. 2. q. 23. n. 13. testimonio Ioannis Andreae, & Dominici in c. 2. de præben. in 6. Obiiciet, consuetudine fieri posse, quod priuilegio Principis fieri solet. Nam in l. Hoc ius, vers. Dicitur aqua, ff. De aqua quotidianâ, & c. stina; consuetudo longo temporis cursu confirmata, priuilegio æquiparatur. Respondeo, in duobus casibus plus posse priuilegium, quam consuetudinem longissimam etiam hominum memoriam excedentem. Primo, quando quis non est capax potestatis: Ioannes Andreas & Dominicus in c. 2. de præben. in 6. Innocent. cap. 1. de Apstla. Antonius in repet. super capit. peruenit, de censibus. Abbas in cap. super quibusdam, de verbos. significacionibus. in c. Nouit, de Iudicijs, & in c. Quanto, de consuetud. Baldus in l. Sifilemibus, C. de Fide instrument. & in c. Cum contingat, de Foro comperen. Felinus in c. Dilecto, de præben. quos omnes Auctores refert Ioannes Selua in eodem tract. de beneficijs par. 5. qu. 23. num. 13. At laici capaces potestatis spiritualis non sunt. Secundus casus est, quando consuetudo à iure improbat, c. Cum satis, de offic. Archid. Ioannes Andr. in c. 1. De Clerico egrotan. in 6. At iure damnatur; vt corruptela, consuetudo, quæ laicus eligit Clericos Beneficiarios ca. Messana. ca. Cum terra. c. Quisquis, de elect.

Quæres, An imperator ius habeat conferendi beneficia, quando per longissimum tempus, cuius initium longe est ab hominum memoria, conferre solitus est, & fama etiam testatur illum semper contulisse? Quidam sentiunt, hæc duo, si simul conueniunt, videlicet, fama, quæ testatur hoc vel illud quempiam possedisse, & tempus longissimum quo possedit, ius tribuere, & priuilegij locum habere etiam in ijs, quorum capaces non sumus: probant testimonio Ioannis Andreae & Abbatis in c. Cum Apostolica. De ijs, quæ sunt à Præla. sine consensu Capituli. Sed mihi hæc sententia non placet. Nam, vt testatur Hostiensis, & Archidiaconus (quos citat Panormitanus in cap. cum Apostolica, prædicto) consuetudo, quamuis longissimo tempore confirmata, & fama, ius tribuere nequeunt in ijs, quorum capaces non sumus: & Ioannes Andreas, & Abbas tantummodo loquuntur de speciali casu, videlicet de decimis, quas laicus possederat per longissimi temporis spacium, & fama erat illum eas possedisse ante Concilium Lateranense Generale: tunc enim laicus decimarum ius acquisiuit, non quidem ex consuetudine, sed consensu Ecclesie, quæ voluit vt eas ille possideret, quia crederetur Romani Pontificis priuilegio possedisse.

Tertio quæritur, An imperator vi præscriptionis possit acquirere ius conferendi beneficia, vel eligendi Clericos Beneficiarios, aut nominandi, designandi, & offerendi, & vt dici solet, præsentandi Clericos ad beneficia? Respondeo minime, quia spiritualia laici præscribere iure non possunt: quoniam possidere nequeunt. Glossa & Doctores in cap. Causam quæ de præscrip. In laicos item ius spirituale non cadit, cap. Sacrosancta, & cap. Messana, de elect. & Ioannes Andreas, Panormitanus, & alij ibidem, cap. Benequidem, dist. 99. Item Ius patronatus in Ecclesia, quæ olim libera fuit, vi præscriptionis acquiri à laicis non potest. Archid. in c. hortamur, dist. 71. Abbas in c. querelam, de elect. & communis opinio, vt ait Couarru in regula, possessor male fidei, par. 2. §. 10. nu. 2.

Quarto queritur, An Imperator eo ipso, quo est Imperator, sit patronus ecclesiarum Cathedralium in locis imperij consistentium? Archidiaconus in *capit. Dilectus. distinct. 63.* dicit Reges esse patronos Ecclesiarum Cathedralium, quæ sunt in regnis ipsorum. Idem tradit Baldus in *cap. Quanto. de iudiciis*: & addit Baldus, hoc facere pro Ducibus Alemanniæ. Cum Archidiacono sentiunt Dominicus & Cardinalis in *prædicto cap. lictis. Paris. in tractat. De Syndicis, in verbo, Civitatis, cap. 2. ad finem.* Vnde Archidiaconum, & Baldum fecerunt, Martinus Laudensis *tract. de Principibus, quest. 74.* Antonius Corsetus in *tract. de excell. Regis, quest. 34.* Covarru. in *Regula, possessor mala fidei. par. 2. §. 10. n. 5.* & Castaldus *de Imperatore quest. 100. n. 20.* dicunt Reges, & Duces sunt patroni in Ecclesijs Episcopaliibus, quæ constitutæ sunt in ipsorum ditione. Certe ego non video, quo iure Imperatores, Reges, Principes, & alij Principes sint ecclesiarum, quæ iure patronatus sunt liberæ, Patroni, ita ut possint Clericos nominare, designare, & offerre, ut præficiantur in eis: nisi id iuris, & privilegij habeant ex fundatione, extructione, donatione; aut quia dotem ecclesiæ auxerint, aut ædem sacræ collatam refecerint, aut per privilegium Pontificium id obtinuerint. his enim de causis, non alijs, laici ius Patronatus in ecclesijs acquirunt. Id vero, quod Archidiaconus, & Baldus dixerunt, Reges esse patronos ecclesiarum Cathedralium, ego intelligo in eum sensum; esse aduocatos, & defensores, siue tutores. Sic enim interpretantur Archidiaconum, & Baldum Nicolaus Boerius in *libro Decisionum q. 32. part. 2.* Lambertinus *de Iure Patron. lib. 1. quæ. 1.* Curtius *de Iure Patron. quæ. 1.* & Remundus Ruffus in *lib. de Pontifice Maximo contra Molinam.*

Quinto queritur, An ex privilegio Romani Pontificis Imperator possit ius aliquod habere in beneficijs conferendis? Respondeo, posse hoc enim habet communis Doctorum sententia: sic Innocent. & Abbas in *c. Quinto, de Constitut. Glossa in cap. Bene quidem, distinct. 96. Doctores in cap. 2. de iudic. Solutio de benef. par. 1. quæ. 7. n. 9.* Imo teste Speculatore in *tit. de præbend. vers. 7.* Imperator Pontificium privilegium habet, quod idem Speculator dicit, se vidisse diplomate confirmatum: ut in qualibet Germaniæ ecclesia unum Canonicum possit designare, nominare, & offerre, ut in fratrem, & Canonicum à cæteris Clericis admitatur.

Sexto queritur, An consuetudo nominandi, designandi, & offerendi Clericos ecclesijs præficiendos, quam nouit, & tolerat Romanus Pontifex, vim & robur habeat? Quidam affirmant valere, cum Reges, Imperatores, & alij Principes, id consuetudine & usu faciunt: & probant testimonio Ioannis Andreæ in *additionibus ad Speculatorem, tit. de Legato. §. nunc tractamus, vers. sed nunquid Legatus. & in tit. de præbend. §. 2. ad finem, & Alberici in l. Bene à Zenone, c. de quadriens præscripi. & Boerius in lib. Decisionum, quest. 32. part. 1.* Sed reuera non quoties scit, & tolerat Romanus Pontifex huiusmodi consuetudinem, ea vim habet: aliquando enim Principes scientes quippiam tolerant, quia id aut nequeunt, aut non nisi ægre, & difficulter impedire, & prohibere possunt, sed potius conueniunt, & dissimulant, quam tacite consentiant. Vnde in *cap. tam dudum, ad finem, de præbend.* dicitur: *Multa patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debent tolerari.* Ergo in his tacitum Romani Pontificis consensum voco, quando id, quod si, ipse Romanus Pontifex pleas scit, & commode impedire potest, ne fiat, & non impedit, aut prohibet: talis non est, cum reclamatione, cum punit, cum conuincitur. Aliqua permittantur principibus facta, non iure.

Septimo queritur, An consuetudine introduci queat, ne Canonici Episcopum aliquem ecclesiæ præfectum ante deligant, quam denuntiet Imperatori obitum eius, qui ante ecclesiæ præfuerat? Innocentius in *cap. Quod si, de elect.* affirmat id posse consuetudine induci; quod probat ex *cap. Lictis, distinct. 63. Solutio in tract. de beneficijs*

par. 2. q. 23. num. 14. Rogabis, an etiam valeat consuetudo, ut Canonici postquam elegerint, certiores faciant Imperatorem, de electione facta, & petant consensum ipsius? Idem Innocentius loco citato, docet valere; Sic etiam Abbas in *cap. Cum terra, de elect.* & Selua loco prædicto: imo etiam addunt, consuetudine induci posse, ut Imperator possit electum, non quidem directo excludere, sed contra ipsum iuris ordine seruato opponere & excipere, quod si sit ipsi infensus, aut minus gratus, aut suspectus. Innocent. in *c. Super his, de accusat.*

Octauo queritur, An Imperator possit aliquid statuere de bonis patrimonialibus Clericorum? De hac questione Castaldus in *tract. de Imperatore, quest. 101. num. 4.* In hac questione Antonius Butius in *cap. Constitutus, de Religios. domib. censet, non esse Romani Pontificis quippiam statuere arbitrato suo de bonis patrimonialibus Clericorum, qui non sunt temporali ecclesiæ iurisdictioni subiecti, ac proinde ad Imperatorem pertinere de huiusmodi bonis aliquid constituere: quam sententiam approbat Panormitanus in *eo capite, & dicit se eam alibi non legisse.* Sic etiam Felinus in *cap. Qua in Ecclesijs, de constitut. numero 30.* ubi ait, sic etiam sensisse Paulum Castrensem. Addit etiam Felinus de suo, non solum Papam de his bonis non posse arbitrato suo quippiam decernere, sed nec ex causa quidem posse: cum alioqui tamen possit iusta de causa aliquid statuere de bonis patrimonialibus Clericorum, qui in temporali Ecclesiæ potestate sunt. Id probat, quia Clericus, quod spectat ad bona patrimonialia, Laicus censetur, ut ait Panormitanus in *capite. Cum dilectus, de Iure patron.* Sed de Laicorum bonis aliquid constituere, ad Imperatores, vel Reges, non ad Pontifices spectat.*

Cæterum ego non video, cur non possit Romanus Pontifex, iustam ob causam aliquid de huiusmodi Clericorum bonis decernere. Cur enim (exempli gratia) Pontifex nequit Constitutione prohibere, ne Clericus aliquid ex suis bonis patrimonialibus filio spurto relinquat ex testamento, vel donatione, ut Laicorum officio tollatur, qui huiusmodi Laicorum testamentis, vel donationibus offendi solent? Adde quod tametsi patrimonialia Clericorum bona, profana, non sacra & ecclesiastica sint; ratione tamen personæ, temporali Romani Pontificis iurisdictioni subiecta sunt, ita ut Summus Pontifex, sicut in Clericos, sic etiam in eorum bona, ius & potestatem habeat, quamuis non directo per se, saltem ratione personæ, cuius sunt bona.

Nono queritur, An Imperatoris leges de ijs, quæ ciuilia sunt, & ad profanam & ciuilem, non sacram, & ecclesiasticam causam spectant, Clericos & Ecclesias teneant? De hac questione laici Abbas, & Felinus in *capite. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constitut.* Iuris Ciuilibus Interpretes partim in *l. Omnes populi, ff. de iustitia & Iure, partim in l. Causas populos, c. de summ. Trinitate & Fide Cathol.* Olim Imperatores de rebus & personis Ecclesiasticis leges & iura sanxerunt, ut patet in Authenticis, quæ sequuntur, *nimirum, de Sanctissimis Episcopis: de Rebus Ecclesiæ non alienandis: de Ecclesijs, rerum alienat. de Sacrosanctis Ecclesijs: Ex Titulis quoque de summa Trinitate & Fide Catholica, de Episcopis & Clericis, de Episcopali audientia: de Monachis.* At sanctiones omnes Imperatoris, quæ expressim, vel speciatim de Clericis, vel Ecclesiarum rebus & bonis aliquid constituunt, nullius sunt ponderis & momenti; quia Imperator in Clericos & Ecclesias iurisdictionem non habet: ut egregie docet Panormitanus in *c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de Constitutionibus, num. 10.* Nam ad summum Pontificem spectat de his quippiam statuere: ut constat ex *ca. Ecclesia Constitut. de Constitut. & leges ferre, & statuta condere, iurisdictionis est. l. Nulli. c. de Sentent. & inter loquunt. Bald. ibid. Romanus cons. 218. n. 2.* Quod si Imperatoris leges generatim ferantur in omnes, nihil de Clericis vel Ecclesijs exprimendo, valent quidem, quia Laicos obstringunt: sed Clericos, vel Ecclesias non obligant.

Animaduertendum est, leges Imperatorias, de ecclesijs vel Clericis aliquando iure Canonico approbati, vel confirmari, vel recipi: & tunc vim & locum habent: non vt Imperatorie sunt, sed quatenus iure Pontificio approbantur, vel recipiuntur. Vt si Imperator generatim edicatur: ne quis alea ludat: ne quis belli tempore ad Christiani nominis hostes arma deferat. Nam sacri Canones interdixerunt etiam Clericis armorum usum, & alex lusum. Item aliquando legibus Imperatorum aliquid precipitur, quod alioqui est iuris naturalis vel diuini: Et tunc id quod precipitur, Clericos, vel Ecclesias obligat, non quatenus est Imperatoris iussum, sed vt est iuris naturalis, vel diuini preceptum. Insuper si Imperatorie leges aliquod, quod iuris naturalis, diuini vel Canonici est, generatim precipiant, vel verent, pena constituta in eos, qui contra fecerint: tunc in eam penam incidunt quidem Laici, sed non Clerici, hoc eam penam exigere & sumere de Clericis laici possunt: quoniam etsi contra ius naturale, diuini vel Canonici deliquerint, non tamen peccant contra legem diuinam, quae eos non tenet: quare Laici in eos inquirere, vel animaduertere nequeunt.

Præterea vsu venire potest, vt Imperatorie leges aliquid precipiant, quod iure naturali, vel diuino, vel Canonico Clericos obliget: & tunc Clerici per Laicos Imperatoris ministros cogi non possunt ad id faciendum: sed monendi Episcopi sunt, qui curent, vt in ea re prouideant, & Clericos ius naturale, diuinum vel Canonicum seruare compellant. Exemplum propono. Sit Imperatoria lex, vt singuli contribuunt ad reficiendum puteum aliquem, fontem, pontem, viam, Clericis cum Laicis communem, vel ad reparandos, & muniendos muros vrbs, vel ad alias res huiusmodi Clericorum, & Laicorum communes: tunc rogandus est Summus Pontifex, aut si is conueniri commode non potest, monendus est Episcopus, vt precipiat Clericis contribuere, iuxta id quod habetur in cap. *Aduersus*, de *Immunit. Ecclesie*. nam recta ratio naturalis præscribit, vt tunc Clerici aliquid de suo conferant, cum causa ad Clericos & Laicos communiter spectet, & res sit toti populo, vel ciuitati necessaria: Sicut commune est commodum, sic communes sint impensæ. *Secundum naturam*, ff. de *Regul. iuris*, cap. *Qui sentit*, de *regul. iuris* in *sexto*. At non est Laicorum id exequi, sed Episcoporum, vt iuris Ordo seruetur. Pari ratione, si lex Imperatoria vetet aliquid, quod est alioqui iure naturali, diuino, vel Canonico prohibitum: veluti, ne in periculum, & offensam aliorum quis arma noctua deferat: Ne quis equos, arma, vel instrumenta, vel alia communi Reipublicæ saluti necessaria à loco exportet, vel vendat externis: Ne quis merces Reipublicæ perniciosas inuehat: Ne quis Patriæ proditoribus, Hæreticisve auxilium & opem ferat: Ne quis in agris oppido vicinis seminet id, quod communi populi saluti nocere solet: Tunc quamuis Clerici hac vel illa lege teneantur, vt continet aliquid, quod est iuris naturalis, diuini vel Canonici; Laicorum tamen non est Clericos cogere ad eam legem seruandam. Sed Episcopi monendi sunt, vt precipiant Clericis id seruare, quod ius naturale, diuinum vel Canonicum præscribit & precipit.

Hinc soluitur questio illa, An lex Imperatoria, quæ incipit: *Ad instructiones* C. de *Sacro sanct. Eccles.* & lex, quæ incipit: *Cum ad felicissimam* C. de *quibus muner. nemini liceat se excusa*, libro *decimo*, & alia similes, Clericos & Ecclesias obliget? Abbas, Baldus, Castrus, Aretinus, Ioannes Faber, Salicetus, Lucas Penna, & alij non solum vtriusque iuris periti, sed etiam Summistæ & Theologi, vt ostendi par. 1. *Institut. lib. 5. cap. 13. quæst. 8.* senserunt, his legibus Clericos & Ecclesias teneri, quia sunt de his, quæ communiter ad Clericorum, & Laicorum bonum & commodum pertinent. Ego vero existimo, hisce legibus, vel statutis, vt Imperatoria sunt & ciuilia, Clericos & ecclesias nequam alligari, sed tantum vt continent aliquid, quod sit

iuris naturalis, vel diuini, vel Canonici, vt loco *supra citato* *superius explicauit*.

Idem iuris est de multis Laicorum statutis, quibus precipitur, vt singuli ciues, aedes vel fenestras, vel limina hoc, aut illo modo construant, viam ante portam domus purgent & mundent: aquam sic, & non aliter ducant. Nec obstat quod Clerici sint ciues, sint partes & membra Reipublicæ: sunt illi quidem ciues fatore, at exempti & soluti à ciuili Principum potestate.

Decimo queritur, An Imperator iurifurandi vinculum remittere, vel relaxare, aut vim eius tollere queat? Ratio dubitandi est, quia in l. *vi. ff. Quis satisfare cogatur*, iurifconsultus respondens, ait, non videri contra iurifurandum fecisse eum, qui iuratus in iudicio sistere, id ex concessa causa omiserit, & in l. *Adigere*, §. *vtim*, ff. de *Iure patronat.* refertur ex lege Iulia de *maritan. ordinibus*, quæ remittit iurifurandum liberto in hoc impositum, ne uxorem duceret. Idem colligitur ex l. *vi. ff. Ad municipalem*, & de *Incolis*: quo in loco Papinianus ait: *Seuerus & Antoninus rescripserunt, gratiam se facere iurifurandi, ei, qui iurauerat se iudicium non interfuturum: Et postea Duumvir creatus esset, & in l. Si quis inquilinos*, ff. de *Legatis*, probatur iurifurandum contra vim legum in testamento præstitum, nullum esse. Glossa in l. *Adigere*, §. *vi. in verbo*, *Remittitur*, ff. de *Iure patronat.* ait, legem ciuilem, vim Apostolicam habere, ita vt iurifurandum remittere, & soluere queat: quam Glossam sequi videtur Baldus, in l. *Non dubium*, C. de *legib.*

Cæterum communi consensu receptum est, ad Romanum Pontificem, & iudices Ecclesiasticos tantummodo pertinere aliquem à iurifurandi vinculo soluere, siue iurifurandum remittere & relaxare, siue illud interpretari, & declarare, si quippiam in eo sit obsecrum, vel ambiguum, eo quod iurifurandi vinculum, sit causa spiritalis & Ecclesiastica: Id colligitur ex cap. *vi. de Foro compet. in Sexto*, & ex cap. *Venerabilem*, de *elect. cap. Nouit*, de *Iudic. cap. Cum contingat*, & c. *Debitores*, de *Iure iurand.* & c. *Quamuis pactum*, de *pactis* in 6.

Quapropter leges Imperatorie siue ciuiles aliquid de iurifurandi vi, relaxatione, declaratione, & interpretatione statuentes, nullius esse ponderis & momenti, testatur Paulus & Salicetus in *Authentic. Sacramenta puberum*, C. *Si aduersus venditionem*, Cynus in l. *vi. C. Si contra ius, vel utilitatem publicam*. Hostiensis, Imola in cap. *Quanto*, de *iurifurand.* Ioannes Andreas & Panormitanus in cap. *Tua*, l. *de Decimis*, & alij, quos citat Alexander & Iason in l. *viii. ff. Quis satisfare cogatur*, & omnes in prædicta lege, *Adigere*, Glossam communiter resiliunt. Non valet ergo statutum vel lex, quæ decernit vt contractus hic, vel ille iurifurando firmatus, vim & locum non habeat.

Nec item valet lex ciuilis constituens, vt contractus si fiat absque solenni iuris ciuilis formula etiam iurifurando munitus, habeatur pro contractu facto per vim, aut metum, vel dolam, hæc enim lex videtur esse in fraudem iuris Canonici, nimirum contra id, quod habetur in cap. *Quamuis pactum*, de *Pactis* in *sexto*, & cap. *Cum contingat*, de *Iure iurand.* Corneus consil. 7. libr. 2. contra Baldum & Bartolum, Raphaellem Fulgosium, & alios oppositum tenentes.

Vndecimo queritur, An Imperator, vel Rex, vel Princeps possit aliqua ex causa prohibere, ne iurifurandum in donationibus, testamentis, compromissis, alienationibus, contractibus interponatur, & penis in tabelliones constituit vetare queat, ne iurifurandum in prædictis adhiberi cogant, vel sinant, siue permittant? Couarruias in cap. *Quamuis pactum*, de *Iure iurand.* in *sexto* part. 1. §. 1. n. 7. & §. 8. docet id posse Imperatores, & Reges, nam ex l. *Qua sub conditione*, §. *Si quis sub iurifurandi*, ff. de *Conditionibus Institut.* habetur, hæredem à testatore iussum aliquid iurifurando adhibito promittere, minime compellendum vt iurifurandum præstet: sed tamen cogendum id facere, quod testator iniunxerit. Et l. 2. C. de *iudic. viduit*, prohibetur, ne iurifurandum interponatur, de viduitate seruanda,

etiam si

etiam si id à testatore, vel à lege veteri indictum fuerit. Et idem est de matre, quæ tutelam filij suscipit ex lege: non enim cogitur iurare de viduitate seruaturam, ut notatur in *Authentic. Matris & auæ, & Authentic. Sacramentum. C. Quando mulier tutela officio fungi possit.* Item, quia solent Principes, & libere ciuitates statuta condere; quibus prohibetur, ne Laici iurandum præstare cogantur in contractibus, vel quasi contractibus, qui absque iureiurando interposito vim habent, quamuis cogantur iurare contractus, qui iureiurando remoto, aut nulli per se sunt, aut irrii iure consentur, aut beneficio legis rescindi possunt. Huius sententiæ Couarruias dicit esse præter Innocentium, Dominicum in *cap. Quamuis pactum. de Iureiurand. in 6.* vbi citat Imolam. eiusdem opinionis ait fuisse Iasonem in *Authentic. Sacramenta puerum, C. Si aduersus venditionem, & in l. vlt. ff. Qui satisfacere coguntur.* Fortunium in *tra. de vlt. sine Iuris. lllat. 20.*

Hæc res quibusdam dubia esse videtur. Nam ex vna parte pro sententiâ Couarruias, & aliorum facit, quod Imperatores & Reges id prohibere videntur ad dolum euitandum, ne laici iureiurando in contractibus adhibito, effugiant civile & sæculare forum, ratione iurandi interpositi. Ita sentiunt Ioannes Lupus, Didacus Segura, & Gulielmus Benedictus, ut refert Couarruias loco citato, qui aiunt, huiusmodi leges Imperatorum, & Regum, & statuta Ciuitatum, prohibentia ne Laici iurandum adhibere cogantur, qui ex iure ipso rati & firmi sunt, valere atque consistere, eo quod alioqui Laici sæculare forum eluderent, & suo foro Principes defraudarent, cum tamen contractus civiles sint, & iureiurando secluso vim habeant; & proinde iurandum in fraudem iurisdictionis civilis præstetur. Ex altera parte pro contraria sententiâ facit, quod huiusmodi Constitutiones & statuta pugnare videntur cum eo, quod habetur in *c. vlt. de Foro compet. in 6.* impediunt enim ne Laici ad iudices Ecclesiasticos libere confugiant.

Quicquid sit, prædictas Constitutiones & statuta approbant Baldus in *l. 1. §. seqq. C. Si aduersus donationem. Federicus Senensis in consil. 172. Decius consil. 59. & 532. & in l. Nec ex pratorio. ff. de Reg. Iur. Cornesius consil. 7. lib. 2. Paulus in *Authentic. Sacramenta puerum. C. Si aduersus venditionem; Alexander in l. Stipulatio hoc modo 2. ff. de verbor. oblig. quos refert Castaldus in lib. de Imperatore. quæst. 19. vers. 24.* Meo iudicio huiusmodi res dubia est, propterea quod huiusmodi statuta Principum videantur esse in fraudem Iuris Canonici.*

Duodecimo quæritur, An Imperator statuiere possit, vti Magistratus, & iudices civiles ab eo constituti, de crimine vsuræ cognoscant, & iudicent? Hanc quæstionem tractat Couarr. lib. 3. *Variar. resolut. in c. 3. & ante eum Panorm. in c. Cum sit generale, de Foro compet. n. 17.*

Tres sunt sententiæ; Prima est eorum, qui affirmant, de crimine vsuræ tractare & iudicare, tantum esse Ecclesiasticorum iudicium, & hoc siue sit quæstio iuris, siue facti. Quæstio iuris est, cum agitur, An hic vel ille contractus sit vsurarius. Quæstio facti est, cum tractatur, An vsuræ solutæ repetantur, an restituantur. Item, cum tractatur, An contractus reuera fuerit, quia testes quidam affirmant, contractum fuisse, alij vero negant.

Hanc sententiâ sequitur Glossa in *Clem. Dispensatio, de Iureiur. & in c. Ex litteris. & e. 1. de officio Ord. & in ca. Cum sit generale, de Foro compet.*

Secunda sententiâ distinguit in hunc modum: Aut tractatur quæstio iuris, videlicet: An contractus sit vsurarius: & tunc causa est spiritualis, & ad Iudices Ecclesiasticos tantum pertinet: Aut vero tractatur quæstio facti, nimirum, An solutæ fuerint vsuræ: Item, an solutæ reddantur, & an fuerit contractus.

Tunc causa est mixti fori, hoc est, quæ à Iudice civili, & ecclesiastico tractari potest. Hanc sententiâ habent Bartolus, Paulus de Eleazaris, Archidiaconus, Antonius Buttrius, Cardinalis, Ioan. Andreas, & Ioan. Monachus: quos

citatur, & sequitur Panormitan. in *l. co. prædicto:* addens, hanc esse communem opinionem.

Tertia sententiâ est Couarruias libro 3. *Variarum resolutionum cap. 3. nu. 1. versic. Ego ut libere cognitionem huius criminis.* Si crimen quidem laicorum sit, ad Iudices tum civiles, tum Ecclesiasticos pertinere, ita ut mixti fori sit, siue sit quæstio iuris, siue facti. Id probat, qui nusquam Ius Canonicum vetuit, ne Iudex sæcularis, de hac causa cognosceret, & iudicaret. Deinde quia vsurarium crimen naturali iure damnatur, & nihil peculiare plus habere videtur, quam homicidium, adulterium, furtum, & alia similia, quæ iure naturali & diuino prohibentur. Ergo non est magis Ecclesiasticum crimen, quam prædicta. Accedit quod huiusmodi crimen non solum diuino, vel Pontificio iure; sed etiam naturali prohibetur: ac ciuili iudicium est, posse punire crimina, quæ naturali iure damnantur, cum Republicæ damnum afferant, & sæpe proximum offendant.

In hac quæstione, tertia sententiâ, quam tuetur ac probat Couarruias, mihi nequaquam probatur: tum quia cum communi opinione pugnat: omnes enim vtriusque iuris consulti docent, crimen vsurarium ad forum Ecclesiasticum pertinere, quando quæstio iuris est. An hic, vel ille contractus sit vsurarius: tum quia ius ciuile aliquas vsuras permittit: cum tamen contra damnet eas omnes ius Canonicum, Diuinum, & Naturale. His accedit quod per Canones, non per leges vsurarium crimen inter nosci potest, ac debet.

Ex his perspiciatur, non valere statutum, vel legem ciuilem, quæ decernit contractum ex aliquo facto censendum, & habendum pro vsurario: Si quidem, de hoc crimine ius ciuile non iudicat. Sic Federicus consil. 94. Abbas in *ca. Cum contingat, de iureiur. n. 12. Cornesius consil. 7. vol. 2.*

Decimo tertio quæritur; An Imperator possit generalem legem constituere, quæ ius gentium, vel naturale, vel diuinum interpretetur, & declarat, restringat, vel ex parte minuat, vel omnino tollat? Hæc quæstio est eadè, ac ea: An ciuili lege ius gentium vel naturale, vel diuinum declarari, restringi, vel penitus tolli possit? De qua quæstione nos alio loco tractauimus.

Decimo quarto quæritur, An Imperator possit Clericis & Ecclesijs priuilegia concedere? Hanc etiam quæstionem suo in loco disputauimus, videlicet *pars. 1. lib. 9.*

CAP. VII.

PARS ALTERA.

Quenam sint Imperatori reseruatæ.

PRIMO quæritur, Quæ Imperatoribus, & Regibus, & alijs Principibus supremam, & absolutam in ciuilibus potestatem habentibus reseruentur? Respondeo, multa illis reseruatæ esse.

Primo, legem generalem condere & promulgare, *l. vltimâ. C. de legibus.* Item, legem generalem editam, & promulgatam interpretari & declarari, si quid in ea obscurum, vel ambiguum esse videatur. *l. vlt. c. 1. de legibus.* Insuper legem generalem conditam abrogare, vel restringere, & ex parte tollere. Item hos, vel illos ciues à legis vinculo soluere & eximere.

Secundo: Tabelliones publicos & generales creare, Bartol. in *l. 1. de offi. Proconsulis. Innocent. in ca. Cum P. Tabellio, de fide instrument.*

Tertio, Magistratus & Iudices constituere, *l. 1. ff. Ad legem Iuliam de ambitu. §. Iudices.*

Quarto, dignitates dare, hoc est, Barones, Comites, Marchiones, Duces & Principes creare: sic etiam feuda dare. Bald. in *c. 1. Feudorum. sit. de ijs, qui feudum dare possunt.* Alij feuda dant, sed priuilegio & beneficio Principis. Sic etiam priuilegia contra ius ciuile commune idem Imperator concedere potest.

Quinto

Quinto, natalibus restituere eos, qui sunt extra legitimum matrimonium progenti, nimirum, ut in bonis hereditarijs succedant, & ad ciuilia munera, vel officia publica, honores & dignitates promoueantur *Glossa in Authen. Quibus modis naturalis efficiantur sui, §. vlt. Et ex ea. Per venerabilem, Qui fil. sint legitimi.* Eadem ratione potest Imperator quos voluerit, nobilitatis privilegio donare. *l. Nemo, ad finem, C. de dignitatibus, libro duodecimo. Baldus in l. Sacrolegij, C. de diuersis rescriptis. Bartolus in leg. 1. C. de Dignitatibus lib. 12.*

Sexto: Potest Imperator ea omnia, quae recensentur in tit. 56. *Quae sint Regalia, in lib. 2. Feudorum.* Videlicet sunt Regalia, (Armandia, viae publicae, flumina nauigabilia, Portus, Reipublicae vectigalia, quae vulgo dicuntur telonia, monetae, mulctarum, poenarumque compendia; bona vacantia, & quae his, ut ab indignis auferuntur, nisi quae specialiter quibusdam conceduntur; talia sunt bona contractuum inestlas nuptias, condemnatorum, & proscriptorum: Angatiarum, perangatiarum, Nauium & Plaustrorum praestationes, extraordinaria collatio ad felicissimam Regalis numinis expeditionem: Argentariae, & Palatia in ciuitatibus confuicis; Piscationum redditus, & Salinariorum, & bona committentium crimina maiestatis: & dimidia pars thesauri in loco Caesaris inuenti non data opera, vel in loco religiose: si data opera, totus ad Principem pertinet.) Haec ibi.

Septimo, Delegare ea, quae aliqui iure communi ciuili delegari non possunt. *Bartol. Et alij in l. 1. C. Qui pro iurisdictione, §. l. 1. ff. de offic. eius, cui delegata est iurisdictione.* Item referatur est Principi, ut qui est delegatus ab eo, possit alterum delegare. *l. A Iudice, C. de Iudicijs.*

Octauo: Solo verbo Doctorem potest Imperatorem creare. *Angelus l. 1. C. de sententiam passis. Iason l. Si quis maior, C. de transact. videlicet, si quempiam Imperator simpliciter Doctorem appellet, ut si dicat alicui: Esto Doctor.* Ita etiam Rom. Pont. solo verbo Parochum, Decanum, vel Episcopum constituit. *Dacius Angulum secutus c. 1. De consensu. Felinus cum Innocentio in eodem cap. Non quod Summus Pontifex solo verbo Ordinis potestatem conferat, sed praefecturam, dignitatem & iurisdictionem.*

Nono: Celebrare ritum publico & solemniter potest Imperator diem natiuitatis, vel coronationis suae. *l. Omnes, C. de Ferijs. Glossa ibidem.*

Decimo: Facultatem dare potest ducendi aquam ex riuo, vel ex aliquo loco publico, quando aqua est in publico vsu. *l. 1. §. Permittitur, ff. de aqua quod est. Et astina. Et Glossa ibidem.*

Vndecimo: Concedere, ut nundinae, vel mercato publici in certo loco celebrentur. *l. 1. C. de Nundinis.*

Duodecimo: Fiscum habere. *l. 1. C. de bonis vacantibus.*

Decimotertio: Bellum hostibus inducere, & cum eis gerere. *l. Hostes, ff. De capti. Et postlim. reuersis. l. Hostes, ff. de verbo signif. c. 1. 2. 3. 4. 2.*

Decimoquarto: Concedere, ut haec vel illa vrbs sit Metropolis, & matrix aliarum urbium. *l. 1. C. Metropolis Beryro lib. 11. hoc tamen locum habet solummodo in ciuilibus, & profanis, non in sacris, & spiritualibus: neque enim potest Metropolitani Episcopum Imperator dare. Eodem modo concedere potest, ut sit ciuitas. Innocent. in cap. Cum ab Ecclesijs, de offic. Ordin. Bartol. in l. 1. C. Metropol. Beryro lib. 11. Item, diuidere vnam provinciam in duas. *l. si eadem, ff. de Assessoribus. & ex duabus contra vnam constituere: sicut vnam dignitatem potest in duas parti, & e conuerso ex duabus vnam efficere. Authen. Vt iudices sine quoquo suffragio, §. Illud. Item damnare urbem, ut aretur, & sale aspergatur. Innocent. in c. Cum in iudicio, de oper. noui nunciat.**

Decimoquinto: poena seruitutis damnare eos, qui certa quaedam crimina patrauerint. *l. 2. C. Quibus ad libertatem proclamare non licet.*

Decimosexto: erigere publicas Academias, in quibus leges, Canones, & iura doceantur, & in quibus litteratum periti in Magistratos, siue Doctores promoueantur: ut colli-

gitur ex l. 1. ff. de origine iuris, Et ex proemio digessorum, §. Haec autem. Item instituere Collegia. *l. 3. ff. de Collegijs illicitis.* Item, praecipere, ut viae per quas est transiurus, apte, & commodè sternatur, & ornentur. *l. Ediles, ff. de via publica.*

Decimoseptimo: Testatoris voluntatem declarare, & interpretari, si quid in testamento obscurum sit, vel ambiguum. *Baldus in l. Cum apud, C. de communi seruo manumisso.* Item vltimam testatoris voluntatem iustis de causis mutare. *Clem. Quia coningit, de Religiosis domibus. l. Legatum, ff. de Administrat. rerum ad ciuita. pertinentium.*

Decimooctauo: Admittere, & recipere abdicaciones, quibus Magistratus suis se officijs abdicant: *l. pen. ff. de officio Praesidis.* Item publica munera & officia posse vendere. *Cynus in l. 1. C. ad legem Iuliam de Ambitu, Et Bald. in l. Barbarius, ff. de officio Prato.*

Decimonono: Prohibere venationes, ne quis scilicet venetur in certis locis, vel certis temporibus, vel certis instrumentorum generibus, *Glossa in l. Diuus ff. De seruitutibus rusticorum, praedior.* Item, prohibere ne muri publici reficiantur, & muniantur absque ipsius facultate, *Glossa Et Baldus in l. Restaurationi, C. de Praedij lib. 11.* Denique quae ardua sunt Principi reseruantur. *l. Cum de nouo, §. Lego, Humanum, C. de Legib.*

Secundo quaeritur, An Imperator possit se inferte, & ingerere in Romani Pontificis electione? Animaduertendum est, Gothis olim omni Italia per Narsetem vltim Patritium, & Ducem à Iustiniano Imperatore praefectum pulsus, ac proinde vna cum vrbe Roma Orientali Imperio restituta sub ipso Iustiniano Imperatore nouus quidam auctoritate Vigilii Papae mos in Pontificis Comitibus introductus est. Is fuit, ut mortuo Summo Pontifice, electio quidem statim more Maiorum, à Clero & Populo Romano fieret; Verum electus Papa non ante Episcopum ordinari, & consecrari posset, quam eius electio à Constantinopolitano Imperatore confirmaretur, ipseque suis licetis electo Pontifici facultatem concederet, ut ordinari & consecrari posset, quaeque Ecclesiam Romanam administrare posset: pro qua facultate consequenda, electo Pontifici necesse erat certam pecuniae quantitatem ad Imperatorem mittere; qua facultate impetrata, ipse consecratur, & Romanum Pontificatum administrabat. Antea enim iidem dies Comitiorum, & consecrationis Pontificis renunciabant. Hoc autem Iustinianus Imperatorem auctoritate Vigilii Papae instituisse, verisimile est, ut Imperator certior fieret, de conditionibus noui Pontificis electi: ne videlicet electo Pontifice Imperator infesto, vel minus grato, vel suspecto, Vrbs, & Italia eo auctore, & impulsore, ab Orientali Imperio deficeret, seque finitimis Regibus vel principibus Imperii hostibus traderet. Quod Siluerium Papam aliquando quassisse falso sibi persuaserat ipse Iustinianus Imperator: qua ratione fiebat, ut in nouis Comitibus eum Romanum Pontificem crearent, quem Imperatori, à quo erat confirmandus, gratum & amicum esse scirent, & de quo ille consideret nihil in Italia contra Imperium moliturum: Perdurauit hic mos & vsus vsque ad Benedictum II. cuius sanctitate permotus Constantinus Imperator Heraclii pronepos, edicto suo constituit, ut deinceps quem Clerus, & Romanus populus Summum Pontificem delegisset, is nulla amplius Imperatoris confirmatione expectata, more vetustissimo, ab Episcopis statim ordinaretur, & ordinatus Ecclesiam administraret. Rursum, Adrianus I. id iuris Carolo Magno Francorum Regi, ac eius successoribus Regibus Francorum primum, deinde Imperatorum Germanorum, qui postea sequerentur, concessit. Sed eo iure Ludouicus Pius, Rex Francorum, & imperator Romanorum se sua sponte abdicauit: & illud postea Adrianus III. Caroli Magni successoribus ademit. At Orthoni I. Germanorum Regi & Imperatori Leo VIII restituit. Postremo Gregorius VII. Henrico Quarto id iuris ereptum, Cardinalibus, Clero, & Romano populo reddidit. Alii deinde Pontifices, qui secuti sunt, Cardinalibus tan-

tummodo permiserunt: quod ad nostram vsque ætatem perferuerat. *Hac Onuphrius in Annotationib. ad Platinam, de vitis Pontificum in vita Pelagij I. Ex Epistola quarta Sancti Gregorij primo. ex Anastasio Bibliot. beccario in vitis Romanorum Pontificum Pelagij II. Agathonis, Vitelliani, Benedicti I. I. ex Abbate Vrspergeni, ex Registro Gregorij VII. Sigeberto in Chronicis, ex Gratiano in Decretis dist. 63.*

Imperator igitur numquam iure communi, vel consuetudine, vel præscriptione potuit se intrudere, & inferre in electionem Rom. Pontif. quod ea causa sit spiritualis & Ecclesiastica. Quod si Iustinianus Imperator ius habuit Romanum Pontificem electum confirmandi, id vel contra ius sibi usurpauit, vel priuilegio & autoritate Vigilij Papæ consecutus est, & deinde Carolus Magnus, & Orho I. & nonnulli alij Imperatores, Romanorum Pontificum auctoritate habuerunt. *c. Adrianus II. c. e. In Synodo. distin. sexagesima tertia.*

Tertio quaeritur: Vtrum ad Imperatorem pertineat ius, & potestas conuocandi generale Concilium Episcoporum ad res Fidei, & Christianæ religionis tractandas: & an Imperatoris sit Concilio generali interesse, eiusque Canones & decreta approbare, & in eo definire & subscribere? De hac quaestione: quoniam de Concilio generali est, alio in loco tractauimus.

Quarto quaeritur: An Imperator iure communi sit totius mundi Dominus in his, quæ profana, ciuilia, & temporalia sunt: quod idem est ac si quaeretur: An totius mundi Principes & Reges sint iure communi Imperatori subiecti? Non quaeritur: An Imperator Dominium habeat omnium rerum terrenarum, quas singuli tanquam veri, & legitimi Domini possident? Conuenit inter omnes, ut docet Castaldus lib. de Imperatore, quaestione 97. harum rerum Dominium penes Imperatorem non esse. Sed quaeritur: An in vniuersum mundum Imperator iurisdictionem & potestatem habeat, qua Regibus, Principibus, & cæteris omnibus in toto terrarum orbe dominantibus, ius dicere queat, & qua possit vbique omnium causas cognoscere, & iudicare, innocentes, & vim & iniuriam patientes tueri, & absolueri, fontes aurem pœnis debitis punire. Constat item, Imperatorem non esse totius mundi Dominum iure gentium, vel naturali: nec enim tale ius præferbit, vt vnus toti mundo præsit, colligitur ex Aristotele i. Politic. c. 4. Præterea certum est, factis, & re ipsa non omnes Reges & Principes, & cæteros hominum quosque esse Imperatori subiectos.

Quaestio igitur est: An iure Ciuili & Canonico communi Imperator in totum terrarum orbem, habeat iurisdictionem? Hanc quaest. disputauit Oldradus, in consil. 69. & Castaldus de Imperatore, q. 52. Felinus in capit. cum non liceat, de Præscript. Callaneus in catalogo gloria mundi, parte 5. considerat. vigesima octaua. Couarruias in Regula, Peccatum. part. secund. §. nono, numero quinto. & Ioannes Igneus, in disputatione, An Rex Franciæ recognoscat Imperatorem vt superiorem in temporalibus, vbi ait: Totam canonistarum, & Legistarum Scholam in Italia censere, Imperatorem esse totius Mundi dominum, ita Bartolus, Baldus, Cynus, Albericus, Paulus, Angelus, Aretinus, Salicetus in l. prima. C. de Quadrien. præscript. Hostiensis, Ioannes Andreas, Antonius, Abb. cum Glossa in ea. Per venerabilem, qui fil. sint legit. Immo Bart. in l. Hostus, ff. de captiuus & postliminio reuictis. Forts, inquit, si quis diceret, Imperatorem nõ esse monarcham totius mundi, esse hæreticum, quia diceret contra id quod Luca 2. legimus: Exiit editum à Casare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis. Et contra illud Matthæi vigesimo secundo: Reddite quæ sunt Casari, Casari, & quæ sunt Deo, Deo. Iurifconsulti Galli, Germani, & alij qui vltra montes scripserunt, & quidam alij iuniores cœsent, Imperatorem non esse totius mundi Dominum. Sic Iacobus Raueenna, Petrus, & Ioannes Fabri in l. i. C. de summa Trinitate, c. in leg. Bene à Zenone, C. de Quadrien. præscript. Oldradus, Raphael, Fulgofius, Alciatus, quos citat Castaldus de Imperatore, quaestione Quinquagesima secunda. sic etiam Cal-

laneus in catalogo gloria mundi part. quint. considerat. vigesima materia. Victoria Relict. secund. de Iudis. numero vigesimo. quarto & vigesimoquinto. Sotus libro quarto de Institutionibus, quaestione quarta. articulo secund. & in quart. distinctione vigesima quint. quaestione secund. articulo primo. Turrecremata in capitul. in apibus. sept. quaestione prima. Couarruias in Regula, Peccatum. part. secund. §. nono, numero septimo. Andreas Yfertia in capitul. primo, de Pace tenenda, & iuram. firman. libro secundo feudorum, & alij quidam Theologi ridiculam Iurifconsulorum sententiam arbitrantur, quod nulla probabili ratione, aut aliquo iure nitatur. Verum iuris tum Ciuilibus, tum Canonici Doctores suam opinionem vtroque iure suffultam esse opinantur. lege Deprecatio ff. ad legem Rhodiã de iactu, dicit Antoninus Imperator: Ego quidem mundi Dominus. in l. Bene à Zenone. C. de Quadrien. præscript. Omnia dicuntur esse Principis. in l. i. C. de Raptu virginum §. in autem, in illis verbis, Per diuersas nostri Orbis regiones. In Authen. de Instrumento, cautela, c. fide, §. Quia igitur, legimus: & dare in commune subiectis, quos Deus nobis tradidit, prius & paulatim semper adiciet. In Authen. Vt omnes obediant Iudicibus, versic. Hac considerantes, habetur: Omnibus in Proincijs, Iudicibus quicumque nostris obediunt scriptis in vniuersa ditione, & qua ascendente videt, & descendente solem. & quæ ex vtroque latere est. In l. rem non nouam. C. de iudicijs, sic est: In Orbe terrarum, qui nostris gubernaculis regitur. & in l. prima. C. de Summa Trinitate, ibi. Cuiusmodi populos. l. si duos. §. primo. ff. de excusationib. tutorum, ibi: Vniuerso orbi conueniens est. In l. Generaliter, ad finem. C. de Episcopis & Clericis. Imperator ait: Et hoc non solum in veteri Roma, & in hac Regia ciuitate, sed in omni terra, vbi cumq; Christianum nomen colitur, obtinere sancimus. l. secund. in principio C. de Iuramen. Calumnia, ibi, In omni orbe terrarum, qui Romano Imperio suppositus est. l. Iubemus, C. de Testamen. §. Quam vt exul. dicitur: Hanc edictalem legem in orbem terrarum ponimus. Institutione de successione libertorum: Quam pro omni natione composuimus, lege prima. §. Cum autem. C. de Vsupacioni. ibi, In omnem terrarum orbem.

Insuper & in iure Canonico fere idem legitur cap. In apibus, septima, quaest. prima. dicitur: Vnus est Imperator, sicut vnus Rex in apibus. & ca. Conuenior, decimateria qu. octaua. Quot iure, distinctione octaua. omnia dicuntur esse Imperatoris. c. Futuram, duodecima, quaestione prima. ibi, Rom. Principes, qui totius orbis monarchiam tenebant. Et ibi: Per vniuersum orbem suo degentibus Imperio. cap. Solita, de Maiorit. & obed. ait Pontifex, Deum fecisse duo magna luminaria hoc est, duas dignitates, Pontificalem & Regalem, illam præesse spiritualibus, hanc temporalibus, c. Duo sunt distin. 96. Papa inquit: Duo sunt quippe Imperator Augustus, quibus principaliter hic Mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Ergo sicut Romanus Pontifex in spiritualibus iurisdictionem & potestatem habet in vniuersum terrarum orbem, sic Imperator in temporalibus. Item Imperator est totius Ecclesiæ patronus, protector, & defensor: at Ecclesia in vniuersum mundum, ius habet in his, quæ sunt spiritualia: ergo necesse est, vt Imperator, qui est Ecclesiæ patronus & defensor, in vniuersum mundum potestatem in ciuilibus habeat. Præterea Ecclesia vtrumque gladium habet in mundo, spirituale & temporale, iure & habitu, quamuis non functione & vsu, vt supra dixi: Ergo Imperator gladium temporalem habet in mundo, quem exercere possit.

Adde his etiam, quod Ecclesia in sexta feria Hebdomadæ sanctæ pro Imperatore Deum precatur, vt omnes Barbaras nationes illi subijciat. Ad extremum, Sanct. Thomas li. tertio, de Regimine Principum, c. 13. ait, Christum Dominum esse verum mundi Dominum, cuius vices gerebat Augustus, licet non intelligens, sed auct. Dei, sicut Caiphas, prophetauit.

His omnibus argumentis non conficitur id, quod iurifconsulti contendunt. Nam citati canones & leges solum innuunt, Imperatorẽ multas mundi regiones ac pro-

uincias suae ditioni ac potestati subiecisse. Vnde quoties dicunt: (*orbis terrarum nobis subiectus*), vel (*causati Reges, vel omnes nationes, & gentes, vel totus mundus*), haec omnia, & alia similia generaliter quidem dicta sunt, sed strictim iuxta subiectam materiam intelliguntur, videlicet, totus mundus, vniuersus terrarum orbis, qui nostro est Imperio subiectus. Vbi relatiuum (*qui*) particula est, quae quod dictum est generaliter, restringit & declarat. Nam nunquam omnes gentes fuerunt Romanis Imperatoribus subiectae. Scythia, Romanorum arma non nouit. Indica Barbarorum regna Romanis non paruerunt: fuerunt multi populi liberi, liberae multae Ciuitates: Item in l. *Mercatoris. C. de Commer. & mercat.* legimus: *Mercatores tam Imperio nostro quam Persarum Regi subiectos*; Et l. *Romana, C. de Eunucho*, sic est scriptum: *Barbara autem gentis Eunuchos extra loca nostro Imperio subiecta factos*. Et Reges Francorum Hispanorum, & Anglorum Imperatorem superiorem non agnoscunt, vt inirent ostendam, non Imperatoris, sed suis regis legibus viuunt. Et Baldus in c. *Solita, de Maioribus. & obed.* Bartolum reprehendit, quod scripserit in l. *Hofes. ff. de Captiuis & postli. reuerfis: Fortes si quis diceret, Imperatorem non esse Monarcham, & Dominum totius mundi, esse haereticum. Nec iniuriari quis potest, Antoninum Imperatorem in l. Deprecatio. ff. Ad legem Rhodiam de iactis, superbe & arroganter se nominasse mundi Dominum: Deus est mundi Dominus, non Imperator. Nihilominus Imperator quia factus est patronus, defensor, & propugnator ecclesiarum, quae in totum terrarum orbem ius & potestatem habet, iure potest Ecclesiam contra omnes Christiani nominis hostes Paganos videlicet, & barbaros tueri atque defendere: iure potest iniurias, quibus Pagani Christianam religionem afficiunt, & maledicta, quae in Christum Dominum conferunt, armis coercere, vt dicam, cum de iure belli tractabo.*

CAP. VIII.

De Abdicatione, Abrogatione, Translatione, & Mutatione Imperij.

Primo quaeritur, An Imperator sua auctoritate possit se Imperio abdicare? Non quaeritur, An electus Imperator possit electioni suae consensum denegare, electio enim vim non habet, donec qui electus est, ratam & firmam electionem habeat. Potest igitur electus Imperator in electionem sui consentire, & dissentire coram publico Notario, quem ipse maluerit *loam. Andr. Panormit. in cap. Quia in dubijs, de renunciat.* Cuius quidem rei ratio haec est, quod ante consensum, electus nullum ius acquisiuit. Deinde, postquam electionem ratam habuerit, potest propria auctoritate suo iure cedere, antequam a Pontifice confirmetur. *Paris in tract. de Duello §. Mortuo, lib. septimo. nu. quinto. Rota decis. 269. Si aliquis, in nouis, & hoc potest facere coram ipsis electoribus, vel ipsis absentibus, coram Notario publico. Castal. de Imperatore, qu. 103. n. 15.* Toti igitur quaestio est, An Imperator electus postquam a Romano Pontifice confirmatus, vnctus, consecratus, & coronatus est, Imperium sua auctoritate deponere possit.

Communi consensu receptum est, eum posse, dummodo id faciat legitimo iuris ordine seruato. Sed quidam addunt eum id posse facere sua auctoritate etiam citra Romani Pontificis consensum: id probant, quoniam summus Pont. se Pontificatu potest abdicare. vt *desinensum est cap. primo, de renunciat. in sexto*: Ergo multo magis & Imperator Imperio. Caeterum hoc argumentum vim non habet, quia Romanus Pontifex superiorem non habet, apud quem Pontificatu se abdicet: Imperator videtur superiorem habere, cuius consensu imperium deponat. Quares, apud quem debeat Imperator Imperium dimittere, vt illud deponat legitime? Ratio dubitandi est, quia nullus se abdicat legitime publico munere, & officio, nisi id coram

superiore faciat. *ca. Admonet, capit. Quod in dubijs, de renunciat.* Sed Imperator superiorem non habet. Respondeo, falso quosdam asserere, sufficere, si coram electoribus Imperio renunciet. Quia, inquit, Imperator superiorem non agnoscit. Deinde, quia electores ius & potestatem habent eligendi & creandi Imperatorem, ergo & acceptam ac ratam abdicationem habendi. Caeterum dicendum est, coram summo Pontifice, siue auctoritate & consensu ipsius, Imperatorem debere Imperium deponere, ob rationem superius allatam, quod Imperator est summo Pontifici subiectus. Item, quia electores si quid iuris habent in Imperio, id habent a summo Pontifice. Tum etiam, quia Imperator est ECCLESIAE patronus, tutor, & defensor, ergo id iuris dimittere nequit absque Romani Pontificis auctoritate, & consensu. *Sic Martinus Laudens in Tract. de Principibus quast. 441. Iacobus Nauaret. Castaldus quastione 103. de Imperatore, numer. 13. post Baldum in l. Barbarius. ff. de offic. Pratoris. Sic etiam Antonius Rosellus de potest. Imperator. & Papa §. vlt. num. quinto & vigesimo quinto. Carolus Quintus Imperator anno Domini 1557. Imperio se abdicauit, ac eam abdicationem Paulus Quartus nullam iure communi fuisse iudicasse prohibetur, quia fieri debuit coram ipso, vel auctoritate & consensu ipsius: sed postea eam ad iuris formulam redactam approbavit. Lancelotus, Conradus, Laudens in templo omnium iudicium. lib. primo ca. primo. §. secund. quast. sexta. numero 12.*

Secundo quaeritur, An Romanus Pontifex possit Imperatori Imperium abrogare? Respondeo, Bartolum, & Cynum in l. *Non ambigitur. ff. de Legibus*, dixisse: ius abrogandi Imperium Imperatori ad populum pertinere, vel ad Imperatores nomine Populi. Sed dicendum est Romanum Pontificem id posse iustis de causis. Hoc patet ex *ca. Venerabilem, de elect. & ex cap. Ad Apostolica, de sentent. & re iudic. in sexto, & ex Clem. 1. de iuraturand.* vbi habetur, quosdam Imperatores, Romani Pontificis auctoritate, Imperio priuatos fuisse. Deinde Romanus Pontifex Imperium a Graecis ad Germanos transtulit. *capit. Venerabilem, de elect. & Clem. 1. de iuraturand.* ergo potest Imperio Germanorum Imperatorem priuare. Legimus in historijs, Carolo Crasso, Adolpho, Venceslao Imperatoribus communi principum consensu, vt dicam inferius, Imperium esse abrogatum. Sed id factum est, vel Romano Pontifice comprobante, vel solum re ipsa, non iure.

Tertio quaeritur, Quib. de causis potest summus Pontifex Imperatori Imperium abrogare? respondeo, ob multa crimina contra Ecclesiam publica, & notoria, quae nulla tergiversatione celari & occultari queant, in quibus Imperator post monitionem legitimam contumaciter perseueret, ita vt Ecclesiae satisfacere nolit. *Glossa in cap. Si Papa. distinct. 40. dicit, omne crimen sufficere ad Imperatorem Imperio deiciendum, nisi velit ab eo crimine resipiscere. Abbas in cap. Venerabilem, de elect. Innocentium secutus, ait Imperatores, & Reges non debere Imperio vel Regno priuari, nisi ex maximis causis siue criminibus. quia haec fieri non potest sine magnis & multis periculis: Et proinde laxandus est iuris rigor, iuxta id quod habetur in cap. Latentes, de Clerico excommunic. ministrante. Aristoteles lib. 2. Ethicorum, capite octauo. dicit: Omnium deterrimum esse eos, qui potentia valent, iure & potestate exuere. In iure Canonico, videlicet in capit. Venerabilem, de elect. & capit. Ad Apostolica, de sentent. & re iudic. in sexto, aliqua crimina exprimuntur, propter quae Imperator Imperio spoliari potest. Veluti si periurus sit, hoc est, si foedus cum sede Apostolica inuito temere violet. Si pacem Ecclesiae promissam & iuram non seruet: Si sacrilegus sit, hoc est, si Cardinales, vel Episcopos, vel Religiosos viros aut Clericos, vel etiam seculares ad Generale Concilium venientes capiat, in carcerem detradat, vulneribus afficiat, vel occidat: si Clauis Ecclesiae condemnat: si Ecclesiarum bona diripiat: Si Ecclesiastica iura sibi vsurpet. Si ECCLESIAE feudalia bona dissipet*

atque dilapidet: Si deniq; sit persecutor Ecclesie: Si communem populi Christiani pacem, salutem & bonum conturbet. Deinde si sit hæreticus, vel schismaticus, vel fautor, vel receptor, vel defensor hæreticorum, vel schismaticorum.

Quæres, An Imperator possit etiam Imperio priuari, cum populos sibi subiectos dure & grauius vexat, vel opprimat? Albericus in *l. Bene à Zanone C. de Quadrien. præscrip. quem sequitur Martinus Lauden. Tract. de principibus, questione septima.* affirmat, posse. Alijs vero ita dicendum videtur: Primo, Imperatorem ab Ecclesia esse legitime monendum, ut à quo in eafatur, crimine desistat. Deinde, oportere eum esse notorium, ita ut negari, occultari nequeat. Tertio, si Ecclesie monita penitentiam, & satisfactionem sibi iniunctam temere negligat, tunc potest Romani Pontificis auctoritate Imperio deijci. Si roges, An etiam possit Imperio exui, cum Imperium negligenter, ignaue, inepte, & inutiliter administrat? Respondet Albericus in *Dictionario, in verbo, Para,* posse: idque probat, quia Zacharias, ut habetur in *cap. Alijs 15. quæst. 6.* Childericum Francorum Regem, regno spoliandum iudicauit, eo quod Regno inutilis esset. Sed Martinus Lauden in *prædicto tractatu de principibus quæst. 162. & 254. & 256. Baldum factus,* sentit tunc non esse Imperio priuandum, sed ei dandum idoneum adiutorem, iuxta id quod habetur in *ca. Quamuis & c. Petisti, 7. quæ prima. & c. Grandi, de Suppl. negligens. Prælati.*

Carolus Crassus Rex, & Imperator, Anno salutis humane 888. quod Imperio inutilis esset, nec satis consilij, præsidij & virium haberet ad hostes Imperio & Regno exturbandos, & ad alias res tractandas: communi procedum sententia, regno, & Imperio priuatus est. Nauclerus in *Chronologia part. secund. Generat. 30. Ioannes Baptista Egnatius, de Romanis principibus, libr. 3. Sigonius libr. quint. de regno Italia, ad finem.*

Adolphum Germaniæ primates petæsi ob sordes & ambitionem regno & Imperio deiecerunt Anno Domini 1298. Naucler. in *Chronolog. part. 2. Generat. Quadragesima-quarta. Ioan. Bapr. Egnat. de Rom. principibus. li. 3.*

Venceslao filio Caroli Quarti Imperatoris, eo quod suo & patri valde dissimilis per ignauiam, & fœcordiam Imperij res afflixisset, communi optimatum consensu Imperium est abrogatum: ut restantur Naucler. in *Chronologia part. secund. Generat. 46. Eneas Sylvius in historia Bohemica cap. trigessimotertio, Egnatius, de Romanis principibus. libr. 3.* Populus Constantinopolitanus ira inflammatus contra Constantinum Copronymum, ei Imperium abrogauit.

Gregorius Septimus Henrico Quarto Imperium ademit. Innoc. III. Othoni IV. Gregorius IV. & Innoc. IV. Federico II. Ioannes XXII. & Clemens VI. Ludouico Bauaro, & ante nos omnes Pontifices Gregorius III. Leonem III. Imperatorem Constantinopolitanum Imperio simul & communione piorum hominum priuauit, quod sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, Platina in *uita Pontificum.*

Item Innoc. I. Arcadium Constantinopolitanum Imperatorem sacra piorum communione interdixit. Immo Sanct. Ambrosius Mediolanensis episcopus Theodosium Imperatorem à sacris remouit, *ca. Duo sunt. distin. 96.* Constantinus Papa præcepit, ne Philippici Imperatoris hæretici litteræ, nummi, imago, nomen in Italia reciperentur. Alexander III. Federicum I. Imperatorem à sacris prohibuit. Platina in *uita Constantini Papa & Alexandri III.*

Quarto quæritur, An Romani Pontificis auctoritate fuerit Imperium translatum à Græcis ad Germanos: Ratio dubitandi est primo, quia non videtur Græcis ademptum Imperium, quoniam post Carolum Magnum semper fuerunt Constantinopolitani Imperatores vsque ad annum 1452. cum capta est Constantinopolis à Turcis. Deinde, non videtur esse translatum Imperium à Græcis

ad Germanos, sed à Græcis primum ad Francos, & deinde ad Germanos: translatum est enim ad Carolum Magnum, in cuius posteris fere per centum annos permansit: postea vero translatum est ad Othonem I. Germaniæ Regem.

Hæretici nostræ tempestatis negant, Imperium esse translatum auctoritate Pontificia, contententes id esse factum, quia Romanorum proceres vna cum ipso populo Romano Imperium Græcis abrogarunt, & Carolum Magnum Francorum regem sibi in Imperatorem elegerunt.

Sed enim negari non potest, id factum esse Romani Pontificis auctoritate: id enim omnes historici tradiderunt, Zonaras *Tom. tertio, in vita Constantini, & Irenæus, Cedrenus in vita eiusdem Imperatoris, Paulus Diaconus libro 23. de Imperatoribus, Æginartus in vita Caroli Magni, Aimoinus libro quarto de Rebus Francorum. c. 90. Ado Episcopus Vienen in Chronico. Actate sexta, Rhegino in Chronico, libro sesundo, Vvichindus Monachus, de Rebus Saxoniciæ libro tertio loquens, de Othone II. Luitprandus, de rebus in Europa gessu lib. 6. cap. 6. Hermannus Contraſtus in Chronico anni 801. Marianns Scotus in Chronico. libro tertio, Lambertus Scaphinaburgeus, in historia Germanica in Othone I. & III. Otho Episcopus Frisingensis, de rebus gestis Federici II. libro 21. cap. 11. Godefridus Viterbiensis in Chronico anni 800. Conradus Abbas Vpbergenſis in Chronico anni 796. Lupoldus Bamberg. in Proemio libri de Iuribus Imperij. Hos secuti sunt recentiores historici Blondus, Platina, Sabellius, Antonius, Nauclerus, Paulus Aemilius, Volaterranus & alij. Vnde in Iure Canonico verissime dicitur, Romanum Pontificem à Græcis ad Germanos Imperium transfuisse. Hoc enim dicit Innocentius tertius in Concilio Lateranensi, & habetur in cap. Venerabilem, de elect. & Clemens V. in Concilio Viennensi, & refertur in *Cl. 1. de Iuribus.* & quamvis Historicorum nonnulli testentur id factum esse à Populo Romano, non tamen negant id factum esse Romani Pontificis auctoritate, cui tunc in spiritualibus & temporalibus Romani parebant.*

Ad id vero, quod est in principio obiectum. Respondet non esse Imperium à Græcis translatum omni ex parte, quia imperium Occidentale translatum est ad Carolum Magnum, & hoc est quod Pontifices Romani, & historici dicunt. Orientale vero penes Constantinopolitanos Imperatores permansit.

Verum quomodo in Iure Canonico dicatur à Græcis ad Germanos imperium translatum fuisse, difficultatem habet. Si quidem in cap. Venerabilem, de elect. dicitur fuisse in persona Magnifici Caroli à Græcis ad Germanos translatum. Quidam respondent, Carolum Magnum, Francum natione fuisse, & proinde Germanum. nam Francos, qui Galliam occupauerant, & ob id Franciam suo nomine vocauerant, è Franconia Germaniæ prouincia venerant, & ita post eorum in Galliam aduentum, dicti sunt Francones Orientales, & Occidentales: qui in Germania remanserant, Orientales, qui Galliam cepertant, Occidentales. Alij dicunt, imperium esse translatum à Græcis primum ad Francos: inde ad Germanos. Et vtrumque comprehenderet Innocentius tertius, dicit esse translatum in persona Magnifici Caroli à Græcis ad Germanos: quasi diceret, esse translatum primum quidem ad Francos, quibus dominabatur Carolus Magnus, & deinde ad Germanos.

Mihi vero probabilius videtur, quod alij dicunt, esse translatum à Græcis ad Reges Germanorum in persona Caroli Magni, quia reuera Carolus Magnus eo tempore Rex erat Francorum, & Germanorum, & posteri eius, qui deinde imperatores sunt consecuti, Reges Francorum, & Germanorum fuerunt: hoc ordine nimirum: Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Lotharius filius Ludouici, nepos Caroli, Ludouicus iunior Lotharij filius Carolus Caluus, patruus Ludouici iunioris, frater Lotharij, & filius Ludouici Pij: Ludouicus Balbus filius Caroli Calui, quanquã hunc Germani scriptores inter imperatores nõ

numerant, ut dicam inferius: Carolus Crassus pat. uelut Ludouici Balbi, filius Lotharij imperatoris: qui Carolus, quia sine uirili stirpe mortuus est, ideo quidam aunt, in hoc primum familiam Caroli Magni imperare desisse.

Alij tamen id negant, quia post hunc Carolum creatus est Rex Germaniæ & imperator Arnulphus, qui genit ex Carolo Magno trahebat, quia filius erat Carolomanni ex contubina. Porro Carolomannus filius fuit Ludouici Regis Germaniæ, & nepos Ludouici Pij Imperatoris: hic enim Ludouicus genuit Lotharium Imperatorem, Pipinum Regem Aquitanie, Ludouicum Germaniæ Regem, Carolum Caluum Imperatorem. Ludouicus Rex Germaniæ habuit filios Carolum Crassum, Ludouicum, Carolomannum, & hic Carolomannus ex contubina suscepit Arnulphum, qui fuit Rex Germaniæ, & imperator Romanorum.

Quinto queritur, Vnde sit nata diuersitas inter Germanos & Italos scriptores in describendo, & recensendo imperatorum numero, hoc est, in numerandis Ludouicis, Conradis & Henricis? Nam Italici scriptores ante Ludouicum Bauarum referunt quatuor Ludouicos, Germanici vero tantum tres. Præterea Italici numerant tres Conrados, Germani quatuor: Henricos item Italici ponunt sex, Germanici septem. Respondeo, eiusmodi diuersitatem hinc ortam fuisse, quod Germani habentes rationem eius, quod Innocentius tertius dicit, *in capit. Venerabilem. de electione*, imperium esse translatum à Græcis ad Germanos in persona Magnifici Caroli, Reges Romanorum, siue imperatores numerant à Carolo Magno, & Reges Germaniæ electos, vocant Reges & Imperatores Romanorum: quia ex prædictis Innocentij verbis colligunt, eos, qui in Reges Germaniæ sunt electi, eo ipso Reges, & Imperatores Romanorum: alioqui enim non esset Imperium ad Germanos translatum in Carolo Magno.

Vnde fit, ut inter Imperatores non numerent Franciæ Reges, nisi fuerint pariter Reges Germaniæ: Italici vero scriptores inter Imperatores non recensent Reges Germaniæ, nisi fuerint à Romano Pontifice consimmati & coronati: quia ex eo tempore, quo translatum est à Græcis imperium ad Carolum Magnum, existit ac pendeat ipsum imperium à Romani Pontificis auctoritate.

Quare Germaniæ Reges, electos quidem, sed non confirmatos & coronatos à Romano Pontifice, vocant Reges Germaniæ & Romanorum, sed non imperatores, quia ut dixi superius, Rex Germaniæ electus dicitur electus in Regem Romanorum, non in imperatorem.

Ex his perspicitur, quare Germani scriptores ante Ludouicum Bauarum tres tantum Ludouicos enumerent, videlicet, Ludouicum Pium Caroli Magni filium, & Franciæ ac Germaniæ Regem, Ludouicum 2. filium Lotharij Imperatoris, nepotem Ludouici Pij, & Franciæ simul, & Germaniæ Regem, Ludouicum 3. filium Arnulphi Imperatoris, Regem Germaniæ: fuit enim electus à Germanis, & Aquisgrani coronam adeptus, quamuis non fuerit à Romano Pontifice diademate donatus, imo nec coronam ferream à Mediolanensi Episcopo consecutus. Ludouicum vero Balbum filium Caroli Calui Imperatoris, & Franciæ Regem, in numero Imperatorum non ponunt, quia non fuit in Germaniæ Regem electus, nec Aquisgrani argentea insignitus corona. Itali vero scriptores ante Ludouicum Bauarum quatuor Ludouicos recensent, hoc ordine: Ludouicum Pium, Ludouicum secundum Lotharij Imperatoris filium, Ludouicum Babum Caroli Calui Imperatoris filium, qui quamuis non fuerit Germaniæ Rex, fuit tamen à Ioanne VIII. Summo Pontifice in Gallia apud Treas Imperatorio diademate coronatus, & vocatus Augustus Anno salutis humanæ 878. *teste Sigonio de Regno Italia lib. 5.*

Deinde in quarto loco ponunt Ludouicum filium Bossonis in Prouincia Regis: qui post Arnulphum Imperatorem coronatus est Imperator Romæ à Benedicto Quarto *testibus Rheginone li. secund. & Othone Frisingensi li. sexto.*

Azor. Inst. Moral. Pars 2.

Nunc etiam Ludouicum Germani scriptores non numerant, quia Rex Germaniæ non fuit, quamuis ex Carolo Magno genus duxerit: nam Ludouicus Pius genuit filiam Hludwigardem, quæ fuit soror Caroli Calui & Lotharij Imperatorum: hanc Carolum Caluus Imperator in matrimonium collocauit Bosconi fratri uxoris iua Richildis, & Bossonem ipsam Prouinciæ Regem creauit Ex Bossone, & Hludwigarde, *ut testatur Rheginone, quem citat Sigonius libro quinto Regni Italici*, natus est Ludouicus Rex Prouinciæ, quem Itali contra Berengarium ex Prouincia vocarunt, & in Regem Romanorum electum post Arnulphum Imperatorem, Benedictus quartus Imperatorio diademate coronauit.

Conrados tres tantum Italici scriptores faciunt, quatuor Germanici: quia Itali in numero non ponunt Conradum Franciæ Ducem in Germaniæ Regem electum à principibus Germanis, qui successit Ludouico filio Arnulphi Imperatoris, & Regi Germaniæ, quia hic Conradus fuit tantum Rex Germaniæ, & non Imperator à Summo Pontifice coronatus: Germani vero hunc Conradum, primum huius nominis appellant, quia fuit à Franciæ Duce in Germaniæ Regem electus, & Aquisgrani coronam argenteam consecutus.

Henricos quoque Germani septem agnosunt, Itali vero sex, eo quod Germani in primo loco numerant Henricum Saxonie Ducem filium Othonis I. Imperatoris, quia fuit ex Duce Saxonie electus Rex Germanorum, & Aquisgrani corona argentea donatus: Sed Itali eum ex albo Imperatorum reijciunt, quia nec in Italia coronam ferream, nec auream à Romano Pontifice accepit. Vnde Imperatores Henricos supputant ab Henrico, qui è Duce Franciæ creatus est Rex Germaniæ, & Aquisgrani coronatus, & in Italia ferream Mediolani & Romæ auream à Summo Pontifice est coronam consecutus.

Sexto queritur, An Imperium ad Italos aliquando redierit à Germanis, in quos olim translatum fuerat in persona Caroli Magni à Græcis? Germani scriptores negant rediisse aliquando à Germanis ad Italos Imperium, postquam semel à Græcis ad Germanos transiit, & eos, qui ab Italis fuerunt in Reges & Imperatores Romanorum electi, post Carolum Crassum, & Arnulphum Imperatores ante Othonem I. aiunt fuisse electos Reges & Imperatores in schismate contra legitimos Imperatores ex Germanis creatos: Italici vero affirmant, à Francis & Germanis Imperium, ad Italos rediisse, & per aliquot annos usque ad Othonem I. durasse.

Animaduertendum est ex Sigonio libro 5. Regni Italici, Anno salutis humanæ 884. Imperante Carolo Crasso, ex familia Caroli Magni, omnium fere Italicorum vnam vocem fuisse, ex ipsis Italis oportere vnum aliquem in Imperatorem deligi, quia Imperatores ex Caroli Magni familia degenerare ab auita vitute & fortitudine iam ceperant, & Sataeni per Italiam & Ecclesiam vniuersam populabantur, Imperatoris viribus imminutis.

Huius sententiæ suffragantur, quod Carolus Crassus Imperator stirpe virili carebat, & durissimo, ac remotissimo bello implicatus, Ecclesiæ, & Italiæ rationibus præsens seruire non poterat. His rebus Itali permoti, Adrianum III. Pontificem adeunt, eumque ut salutari decreto in posterum Italiæ, & Ecclesiæ consuleret, orant. Adrianus autem facile precibus, & postulatis eorum annuit, & statim duo Decreta condidit, vnum pro Ecclesiæ Romanæ libertate, *ut Pontifex designatus consecrari sine presentia Regis, aut Legatorum eius possit*: alterum pro Italiæ dignitate, *ut moriente Carolo Crasso Imperatore sine liberis Regnum Italicis Principibus vna cum titulo & iure Imperij traderetur.*

Mortuo itaque Carolo Crasso sine liberis anno 888. Itali Berengarium Italicum Principem ex Duce Ferouliensi in Regem Romanorum eligunt. Qui Papiam urbem ingressus, coronam ferream ab Anselmo Mediolanensi præfule consecutus, ibi veteri instituto sedem Re-

giam collocavit, & privilegia civitatibus, Ecclesijs, & Monachorum cōuobis, superiorum Regum more concessit. Alij vero Itali Berengario infanti, Vidonem Ducem Spoletanum Regem Romanorū creaverunt. Hic Romæ ab Stephano V. diademate coronatus, factus est Imperator an. 891. Berengarius Rex ab eo victus, in Germaniam ad Arnulphum Germanorum Regem se contulit. An. vero 892. Vido Rex, & Imperator post deictum Berengarium, & ex Italia pulsus, Lambertum filium socium sibi regni aseruit. Anno 895. Arnulphus Rex Germaniæ precibus Formosi Romani Pontificis & Berengarij Regis permotus, cum exercitu in Italiam venit, & an. 896. Urbem Romanam, quam qui erant à factione Lamberti Regis, tuebantur, cepit. Eam ingressus, se à Formoso Papa Imperatorem, & Augustum iungi, & coronari præcepit, & populum Rom. iureiurando addictum sibi obligavit.

Eodem anno, Arnulpho in Germaniam reuerso, Lambertus Rex victus, & coronatus est Imperator Romæ ab Stephano VI. qui omnia Formosi Pontificis facta resciderat, & Arnulphum Germaniæ Regem, quem Formosus metu consecrauerat, Imperatorem vitio factum esse pronuntiavit. Anno 898. Ioan. IX. qui Theodoro I. successit, Rauennæ Episcoporum conuentum celebrauit. In eo præsens adfuit Lambertus Rex, & Imperator, quem Ioannes IX. confirmavit, & Arnulphi Regis Germaniæ consecrationem Imperatoriam, ut metu exortam resciderat. Eodem anno extinctus est Lambertus Rex, & Imperator. Tunc Itali, qui Lambertum secuti fuerant, & Benedictus IV. contra Berengarium Regem, Ludouicum Prouinciæ Regem, & Bossens Regis filium in Italiam vocarunt. Is anno 900. cōcto exercitu in Italiam venit, & anno 901. Romam contendit, & à Benedicto quarto Imperatoriam coronam accepit. Quem deinde anno 902. Veronæ commorantem, Berengarius cepit, & oculis orbauit, & regno Italiæ, & Imperio se abdicare compulit. Tunc solus Berengarius Italiæ regnum obtinuit, & anno 915. à Ioanne decimo diademate coronatus est Imperator & Augustus, postquam regnum Italiæ adeptus fuerat annis 29. Sed anno 291. Itali Imperium Berengarij perosi, Rodolphum Burgundiæ Regem euocarunt. Is in Italiam exercitum traiecit, & Papæ à Lamberto Archiepiscopo Mediolanensi coronam ferream consecutus, Rex Italiæ saluatus, & acclamatus est. Qui deinde, Berengario mortuo, solus in Italia regnauit. Anno 926. Lambertus Archiepiscopus, ex Ioannis Decimi, Romani Pontificis Principumque sententia nuncios ad Hugonem Comitem Arelatensem in Prouinciam misit. Hic egat Lotharij Comitissæ Arelatenfis filius, Lotharij Lotharingiæ Regis nepos, quibus nuncijs inuitatus Hugo, cum exercitu Italiam petiuit: & cum Papam venisset, Rex summo omnium studio saluatus, coronam ferream Mediolani ab Archiepiscopo accepit An. 932. Lotharium filium suum regni socium sibi adiunxit, eumq; Mediolani ab Archiepiscopo coronati iussit.

Anno 947. Berengarius iunior filius Adalberti Epithodiæ Marchionis, Berengarij senioris ex filia Gissa nepos, ab Arderico Archiepiscopo accitus Verona Mediolanum accessit, ibique pro Rege Italiæ se gerere cepit. Et eo anno Hugo rex relicto in Italia Lothario, in Prouinciam redijt, & paulo post è viuis excessit. Regnauit in Italia mortuo patre Lotharius, qui anno 949. mortuus est Papæ, & regnauit Berengarius II. vna cum filio suo Adalberto.

Tandem anno 960. Ioannes XII. cum videret in Italia futere in dies vehementius reges, videret itidem neminem esse, qui externo cuique Imperio non mallet obedire, quam domesticæ Italicorum regum seruire tyrannidi: Ioannem Diaconum Cardinalem, & Azonem scrinarium ad Othonem Germaniæ Regem Legatos cum litteris in Saxoniam misit. Et summa Legationis fuit, Berengarium & Adalbertum truculentius multo quam ante Ecclesiam, atque totam Italiam diuexare: pertinere ad eius dignitatem, & maiestatem Ecclesiæ & Italiæ grauiore

laboranti opem ferre: quocirca orare eum se, vt pro Christianæ religionis & Italiæ salutis studio, & amore exercitum in Italiam adduceret, Ecclesiam Catholicam Caroli Magni exemplo ab inuicta eorum regnum tyrannide vindicaret. Id si se. isset: Augustalibus insignibus se eum ornaturum, ac tanquam summum Ecclesiæ propugnatorem, Imperatorem Romanorum, qui titulus tunc vacabat, appellaturum.

Quibus permotus Otho Magnus, promisit se in Italiam venturum. Et anno sequenti filium suum Othonem Aquigrani Regem Germaniæ coronandum curauit: Et cum lectissimo milite in Italiam accessit. Cum Mediolanum venisset Archiepiscopus Principum & Episcoporum Concilio, vt moris erat, vocato, & ex omnium sententia Regnum Berengario, & Adalberto abrogatum, ad eum defert, & ipsum in æde Sancti Ambrosij magno apparatu & caeremonia petangit, & consecratum. corona ferrea exornat: Otho ipse solemnibus sacramento presentibus omnibus promisit se Regnum Italiæ perpetuo defensurum. Et deinde ipso Archiepiscopo comitante, Otho Romam accessit, vt coronam Imperij à summo Pontifice promissam acciperet. Venientem latissimis, si quæquam vnquam alium animis, & admirabili benigni occurfus spectaculo Romani exceperunt. Ingressum in Urbem, & ad pedes Pontificis se submittentem, in Vaticanæ Basilicæ gradibus Ioannes amplexus in templum deduxit: vbi sacris magna caeremonia celebratis, eum inunxit, ac Imperatorio diademate coronauit, vniuerso populo, Clericoque certatim faustis vocibus Augusto, Imperatorique felicitatem & victoriam acclamantem.

Quo facto, vterque ad aram sancti Petri accessit, & solemnibus Sacramento deuinxit; Ille, se Ecclesiæ Romanæ semper patrimonium, iura, & auctoritatem defensorum promisit; hic, se nullo vnquam tempore Berengarij, cæterorumque hostium partibus opem, auxiliumque laturum. Ac ita Regnum & Imperium Romanorum ad reges Germaniæ redijt; cum in Italia penes Italicos reges, seu Imperatores quinque vel sex fuisset, *scilicet Blondo*, quinquaginta annis, videlicet penes Berengarium seniores, Vidonem, Lambertum, Berengarium iuniorem, & Adalbertum, & penes Rodolphum Burgundiæ Regem, & Hugonem Comitem Arelatensem, & Lotharium filium eius.

Hos omnes historici Germani Tyrannos appellant; sed Itali, reges Italiæ & Imperatores Romanorum. Et certe negari non potest, Berengarium I. Vidonem, & Lambertum, non solum ferream coronam Mediolani ab Archiepiscopo consecutos, sed etiam, vt dixi, auream Romæ à Summo Pontifice adeptos fuisse, quamuis cæteri, vt Rodolphus, Hugo, Lotharius, Berengarius II. Adalbertus, Reges tantummodo fuerint Mediolani, vel Papæ ab Archiepiscopo corona ferrea insigniti, non aurea Romæ à Summo Pontifice donati.

Septimo queritur, An Imperij administratio ea vacante ad Romanum Pontificem spectet? Ioannes Fabri *instit. de Adoptione* §. 1. dicit, Papam vacante Imperio, posse quicquid potest Imperator. Bartolus *in l. Naturaliter ff. de Usucapionib.* ait vacante Imperio Ecclesiam in eius administratione succedere. *Idem etiam tradit Bald. in l. Cum notissimi §. Immo, Codice de Præscript. Abbas in c. Licet ex suscepto. numero octauo. de Foro comper. Et capitul. Nouit. numero decimo sexto. de iudic. Roman. in singulari suo quod incipit. Vacante Imperio 47. Doctores in cap. Licet ex suscepto. Et cap. Nouit. modo citatis.*

Olim magna fuit questio, An Imperio vacante, administratio eius iure communi ad summum Pontificem deuolueretur, quibusdam asserentibus non ad Pontificem, sed ad Electores Imperij iure communi deuolui, quorum esset Vicarium constituere, cuius cura Imperium regeretur. Qui quidem eo argumento permouebantur, quod sede Episcopali vacante, administratio eius ad Collegium Canonorum pertineat, sicut etiam vacante Aposto-

lica Sede, administratio Ecclesie est penes sacrum Cardinalium Collegium. Alijs contra affirmantibus, Summum Pontificem in Imperij administratione succedere.

Cæterum, ut patet ex Constitutione Pontificia, qua incipit: *Si fratrum, inter extravaganantes Iohannis vigesimi secundi in titulo. Ne sedo vacante*, sublata iam est omnis controversia. Ibi enim sic legitur: *De iure liquidum est, & olim inconcusse servatum, ut vacante Imperio, in illo nequeat ad secularem Iudicem haberi recusus, sed ad Summum Pontificem, cui in persona Beati Petri terreni simul, & terrestri Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictione, regimen, dispositio devolvuntur.* Et ibi pena constituitur in eos omnes, qui prætenderent se, Vicarios esse Imperij eo vacante.

Dicendum est ibi: *(De iure liquidum hoc esse)* quia in *Clem. Pastoralis. §. vi.* De sentent. exco. iudic. habetur sic: *Nos non tam superioritate, quam ad Imperatorem non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua vacante Imperio, Imperator i succedimus.* Et capit. *Licet ex suscepto, de Foro compet.* Innocentius III ait: *Hoc præferimus tempore, quo, vacante Imperio ad Iudicem secularem recurrere nequeant, qui à superioribus in sua iurisdictione opprimuntur.*

Ex his periculum esse potest, quam caute legendum sit id, quod Cardinalis ait, in capitulo. *Licet ex suscepto, de Foro compet.* Vacante Imperio non succedere, quantum quidem ad administrationem attinet, Romanum Pontificem. Quia omnis, inquit, iurisdictione exprimitur. Nam in temporalibus Imperator superiorum non habet, sicutem esse & iurisdictione. Et in causis ad superiorem, non ad alium concurrunt. Felinus item in præd. & cap. *Licet, de Foro compet.* ad finem: *Disputatio, inquit, tenetur oppositum, scilicet, vacante Imperio, in eius administratione Papam non succedere.*

Sed nihil aliud, opinor, isti Auctores dicere voluerunt, nisi quod ex eo cap. *Licet, de Foro compet.* manifeste non colligitur, vacante Imperio administrationem omnem ad Summum Pontificem devolvi: Nec id esse in iure communi ante Clementinas constitutiones expressum.

Octavo quaeritur, Vtrum eodem tempore possint esse plures Imperatores: Hæc quaestio non est, vtrum factio ipso possint esse plures Imperatores, cum constet plures simul aliquando fuisse: quod & ipsum quoque ius civile indicat, in l. *Diui fratres, ff. de poenit.* & l. *Diui fratres, ff. De liberali causa. l. Diui fratres, ff. de Accusat.* & in scriptis & l. *Diui Severus, & Antoninus, ff. Ad legem Iuliam peculatus: item l. Diui fratres, ff. de Iure patronatus. l. Diui Severus, & Antoninus, ff. De ijs, quib. ut indignis, & l. Diui Severus & Antoninus, ff. De Administratione tutorum.*

Sunt enim multæ leges simul à pluribus Imperatoribus constitutæ, ut inscriptiones ipsarum legum ostendunt, capitul. *Rotina, distinctione quadragesima tertia, & Diocletianus, & Maximianus simul imperarunt, & simul leges ac iura sanxerunt. l. Diuina. Codice, Ne liceat potentior.* & l. *In pecuniarijs, C. De Procurator.* Arcadius, Honorius, Theodosius Augusti. l. *Licet, C. De Procurator.* Gratianus, Valentinianus, Theodosius Augusti. Vnde Baldus in l. *Aretinusa, ff. de statu hominum, & Archidiaconus in ea. Nunc autem distinet. vigesima prima.*

Non est novum, inquit, duos simul Imperatores Rempublicam administrare. Deinde non est quaestio, An auctoritate Romani Pontificis possint plures simul esse Imperatores: nam ut ait Cardinalis in cap. *Nunc autem, distinctione vigesima prima.* constat fuisse quandoque duos Imperatores, & sic dubium non est, quin Romani Pontificis permisso, possint ex causa plures simul esse, videlicet ob commune bonum pacis: quamvis solo consensu Principum electorum id nequeat fieri, ipsis enim datum est ius eligendi & creandi Imperatorem, non Imperium dividendi.

Quæritur ergo, An iure communi possint simul esse plures Imperatores? Glossa in c. *Nunc autem, distinctione vi-*

gesima prima. docet posse simul esse plures Imperatores, cum sint defensores, & propugnatores Ecclesie Romanæ: Secus vero esse, de Romano Pontifice, qui non nisi vnus in Ecclesia esse potest; cum sit Vicarius Christi, & Christus dixerit: *Erit vnus ovile, & vnus pastor.* & in Exituag. *Vnam sanctam, de Maioribus. & obed. inter communes,* (Christus in vno Petro tanquam Vicario, suam fundavit Ecclesiam) Idem cum Glossa tradit Panormitanus in cap. *Quoniam, de Offic. Iud. ordin.* At Petrus cognomento, de Monte, in tract. *de Monarchia, questione tertia, ad finem, ait: Quamuis plures simul fuerint aliquando factio ipso Imperatores, iure tamen plures simul esse non possunt. c. in apibus. 7. quest. i. vbi dicitur: Vnus Imperator.*

Cæterum quicquid sit de iure scripto, nihil cum iure naturali, vel diuino pugnat, ut plures simul sint Imperatores, nec olim tantummodo ante Carolum Magnum plures quandoque fuerunt, ut fratres Arcadius & Honorius, Gratianus & Valentinianus; Valentinianus Senior, & Valens frater eius; Diocletianus & Maximianus, Severus & Antoninus: Sed etiam postquam Imperium à Grecis translatum est ad Francos, sive Germanos in persona Caroli Magni, fuerunt simul duo Imperatores, vnus Occidentis, alter Orientis: tamen si Glossa in capitulo. *Venerabilem, in verbo translatus, de elect. dicat, post translationem Imperij, Constantinopolitanum Imperatorem nomine tantum, non re fuisse Imperatorem: Quæstio, inquit, est Rex Scachorum.*

Nimirum hoc dixit Glossa, quia Imperator est patronus, propugnator & defensor Romanæ Ecclesie: & translato Imperio, talis desijt esse deinceps Constantinopolitanus Imperator: imo fuit Schismaticus ab unitate Ecclesie diuisus.

Nec probandum videtur, quod dicit Ludouicus Ferrariensis in tractat. *de Legitima, questione septima.* Constantinopolitanum fuisse semper verum & legitimum Imperatorem, non autem Germanum: nec potuisse iure, Constantinopolitano Imperio deijci, & solum per translationem factum fuisse, ut Germanus sit Dux & defensor Ecclesie: hæc enim profecto sententia cum iure ipso Canonico, & cum Ecclesia ipsa pugnare videtur: iura enim & Ecclesia in decretis, & ceremonijs, & officijs diuinis Germanum Rom.

Imperatoris appellat.

Finis Libri Decimi.

